

Q. F. F. Q. S. 1613 / 2

~~29~~
15

SUBSEQUENTES POSITIONES

De

PIGNORIBUS
ET HYPOTHE-
CIS.

Consentiente Magnifico, & Amplissimo
Jctorum Ordine.

P R Æ S I D E

Viro Amplissimo & Consultissimo

D N. DOMINICO ARUMÆO,
J C. PROFESSORE PANDECTARUM
in Academia Jenensi publico, Curia Provincialis,
& Scabinatus Adessore, Præceptore suo ætatem
colendo.

Publicè

In Jctorum Auditorio examinandas proponit


RODOLPHUS FRIDERUS MINDA-
NUS WESTPHALUS.

J E N Æ,

Typis HENRICI Rauchmaul's.

ANNO M. DC. XIII.





**Viris Amplissimis, Consultif-
simis, Excellentissimis**

DN. JOACHIMO AB ANDERTEN,
J. U. D. Ecclesiae Cathedralis Mindensis Syndico.

DN. JOHANNI DERENDALIO,
J. U. D.

DN. JOHANNI AVERBERGIO,
J. U. D. Sereniss. ac Illustriss. Brunsvicensium Duci à Con-
siliis ac Reipubl. Mindensium Syn-
dico.

DN. HENRICO CLOTHACCIO,
ejusdem Mindens. Reipublicae Judici Ordi-
nario.

*Dnis Patronis, Fautoribus, Promotoribus
& Agnatis summo observantia studio
colendis hoc juridicum exercitium
in grati animi signum*

D. D. D.

A. & Resp.



THESIS PRIMA,



Ignus est conventio qua credi-
tori jus in re alicujus constituitur, ut debitum ipsi
sit tanto tutius *Vultej. 1. Jurisp. Rom. c. 34. §. fin. Inst.*
quib. mod. re contr. oblig. l. 1. §. jubet ff. de collat. bonor.

2. Conventio illa, quando firmatur ipsius rei traditione, non
manet in nudis conventionis terminis, sed in super contractus no-
men assumit, & dicitur **PIGNUS** specialiter §. *item Serviana In-*
stit. de actio. l. si rem alienam §. propriè. de pignor. actio.

3. Quando verò non firmatur rei traditione, vel sit de re im-
mobili, quæ tradi non potest, conventio illa in alium contractum
non transit, sed nudo tantum placiti sine constat, diciturq; Hy-
potheca vid. *l. 1. de pignor. actio. l. 4. de pignor. dict. §. item serv. Inst. de*
actio. d. l. si rem. l. 17. §. de pignore ff. de pact. Doctoribus dicitur Pi-
gnus Improprrium *Mozius de pignor. c. 1. n. 9 per l. 9. §. 2. de pig. actio.*
quod, ut dixi, quia in nudis tantum conventionis terminis confi-
stit, idè jure civili ad excipiendum tantum, non ad producen-
dum actionem ut & quodvis aliud pactum nudum efficax est *l. 7.*
de pact. jure tamen honorario ex hoc pacto actio datur d. l. 17. §. 2.
de pact.

4. Pignoris autem vocabulum præter significationem quam
in definitione sustinet, quandoq; significat ipsam rem pignori da-
tam creditori §. *7. Inst. de act. l. 6. §. fin. l. 8. §. 4. §. 5. de pignor. act. tot.*
et ff. C. de distr. pign. Sicut & commodatum, depositum &c. ipsa
conventionis nomina ponuntur pro ipsis rebus in contractus
comm. depos. &c. adductis: quandoque ipsum jus creditori in re
pignorata constitutum *l. 1. de pig. act. l. 4. de pign. Vultej. d. cap. 34. n. 2.*
quandoq; pro ipsa ponitur obligatio *l. 8. §. pignore l. si rem alie-*
nam de pignor. act.

5. Similiter & hypothecæ appellatione continetur, tum i-
psum jus quod creditori in securitatem crediti in re quadam con-

stituitur l. 4. hic. l. si is qui 11. §. usufructus ibi: usufructus an possit hypotheca dari, & §. ult. l. 16. in pr. de pigno. tum per metonymiam res ipsa in qua tale jus creditori constituta est l. grege 13. §. etiamsi venditor ibi: hypotheca manet obligata, §. si sub cond. §. ult. l. 16. §. creditor. §. si duo. l. fidejussor 26. §. ult. de pignor. Bocer. diss. de pignor. tb. 2. & 3. Gæd. in l. 238. §. 2. de V. S.

6. Dicitur Pignus à pugno, quod res que pignori dantur manu tradantur, unde Cajus in l. plebs 237. ff. de V. S. rectè infert, pignus propriè significare illam rem que manu traditur, hoc est, rem mobilem, illumq; contractum pignoratitium qui re mobili interveniente fit per ipsius rei traditionem §. fin. Instit. quib. mod. re contr. Gæd. in d. l. plebs. Hypotheca autem verbum Græcum, usu Latinum factum, subpositionem significat, ut sit res obligationi subposita, nihilque in eo verbo nisi subpositio & nexus intelligatur. Ideoq; notatione & vi nativa non requirit traditionem sed solam conventionem, qua sola etiam contrahitur Gæd. in d. l. 237. Dd. in §. 7. Inst. de act.

7. Et hæc quidem ita dicuntur cum ad subtilitatem & originem verbi res exigitur, ast usu non observantur, sed potius utroq; vocabulo indistinctè utimur; unde etiam quantum ad actionem attinet pignus ab hypothecâ nihil differt §. 7. Inst. de act. Donel. de pign. cap. 2. Connanus 4. comm. 13. n. 2. Duar. ad tit. de pign. act. Vult. ad §. 6. Inst. de act. n. 15. videturq; ista differentia nominis potius esse quam rei & effectus, ut est textus in l. res hypotheca. hic.

8. Cui consequens est falsum esse quod quidam in l. 9. §. propriè. de pignor. statuunt, statutum loquens de pignore locum non habere in hypotheca, cum tamen duo ista vocabula in jure nostro confundantur plus millies. l. 16. §. 2. & 3. hic. l. 3. §. 3. ad exhibendum l. 13. de cond. indeb. l. 15. de re jud. l. 11. §. fin. de except. rei jud. quinimò generali pignoris appellatione hypotheca quoq; continetur l. 21. de pignor. act. Negus. in tr. de pign. pars. 1. m. 1. n. 8. & 9. Diss. aliter Mozzius. de pign. cap. 1. n. 18.

9. Constituitur pignus vel conventionem l. 1. in pr. & §. 1. de pign. act. l. 4. de pignor. vel prætoriam autoritate l. non mirum 26. §. 1. de pignor. act. vel ultima voluntate d. l. 26. in pr. l. 9. ff. de annuis legat.

10. Conventionem constituitur pignus, quando inter creditorem & debitorem convenit ut res aliqua pignori sit obligata.

Et

Et quidem pignus specialiter ita dictum expressa semper constituitur conventionem, utpote quod rei presentem requirit traditionem: Hypotheca verò non solum expressa, verum etiam tacita constituitur conventionem tacitoq; consensu *l. 4. in pr. ff. hic l. 3. §. ult. ff. qui pot. in pig. l. 1. in pr. & §. 1. de pignor. act. Vult. d. cap. 34. n. 7. Trentl. vol. 2. disp. 1. th. 2. lit. a.*

11. Quod conventionem constituitur pignus vel in omnibus debitoris bonis constituitur, unde pignoris obligatio alia generalis, vel in aliqua tantum bonorum parte, unde alia specialis dicitur *l. 1. l. 4. C. qua res pig. l. 1. l. 6. l. 29. in pr. ff. hic l. 2. qui pot. in pign.*

12. Generalis est cum sine ulla rerum notatione generaliter res omnes obligantur quas quis habet habiturusvè est *d. l. 1. in pr. l. 15. §. 1. ff. hic l. 2. C. d. tit.* Id quod fieri etiam dices, cum quis simpliciter omnia sua bona obligat, continentur enim & tum isthac obligatione ea bona quæ postea acquiruntur, licet de futuris bonis nihil expressè dictum fuerit *l. ult. in fin. C. qua res pignor. oblig. pos. Bocer. d. disp. de pign. th. 24. Donell. de pign. c. 7. Negus. d. tr. de pign. m. 2. in pr.* Et dicuntur ista generali obligatione obligari bona futura non simpliciter, (nec enim possunt) sed sub conditione, si modo debitor ea aliquando habiturus est.

13. Porro generali ista bonorum obligatione continentur quoque actiones, jura, nomina *l. 3. l. 7. C. de hered. rer. l. nomina 4. C. qua res pign. oblig. pos.* quod verum est si simpliciter bonorum facta sit obligatio, secus si bonorum mobilium & immobilium; neutra enim appellatione jura continentur *l. à divo Pio 15. §. 2. de re judicat. Negus. p. 2. m. 2. n. 10. Pinellus ad Rubr. C. de bonis mater. part. 1. n. 29. Anton. Faber in C. Fabriano lib. 8. tit. 6. def. 14.*

14. Continetur item pecunia quam debitor ab alio mutuam accepit *l. Cum tabernam pen. §. fin. ff. de pignor. & ibid. Costal.* imò etiam quam ab ipso creditore mutuam accepit, & propter quam res suas obligavit, *Donell. in d. l. ult. arg. d. l. pen. §. fin. hic.* Ecce enim ibidem pecunia ab alio accepta obligata est? ideò nimirum, quia in bonis debitoris esse cœpit; quæ ratio cum militet in utroque casu, cur non idem quoque jus statuendum? facit huc *l. idemq; in fin. ff. qui pot. in pig.* ubi scriptum est indefinitè, nummos debitoris qui generaliter bona sua obligavit, pignori esse obligatos *Donel. de loc. Conna. 4. Comment. 14. n. 5. Diss. Negus. p. 2. m. 2. n. 11. & seq. & Comm. Dd.*

15. Continetur item generali obligatione servus, qui consentiente domino omnia ejus bona creditori obligavit *l. 29. de pignor. Connan. 4. comm. 14 n. 5. Negus. d. loc. n. 32.*

16. Generali tamen obligatione non continentur, quæ verisimile est specialiter quempiam non fuisse obligaturum, propterea quod tanti ea nobis sunt ut de iis alienandis non videatur fuisse cogitarum *l. 6. ff. hic.* Quorum duo ponuntur genera *in d. l. 6.* Unum eorum quæ quis in usu quotidiano necessariò habet, ut sunt supellex, vestis &c. alterum eorum quæ ad affectionem alicujus pertinent, qualis est concubina, filii naturales, alumni. Quæ omnia non tantum si postea quæsitæ fuerint obligatione non continebuntur, sed etiam si debitor ea habuerit quo tempore paciscebatur, non tamen continebuntur. *Donell. cap. 7. Negus. d. p. 2. m. 2. n. 34.*

17. Sed quid si debitor alia bona non habeat, anne heres generali obligatione continebuntur? si debitor cum res suas obligavit, alias res in bonis habuit præter superiores, hæ non continebuntur: cum enim à principio obligatæ non sint, nec ex eventu obligabuntur, quamvis debitor alias res habere desierit; hic enim ab initio obligatio certam legem & conditionem accepit, quæ ex eventu non mutabitur invito debitore *l. verò 12. §: 1. de solut.* Quod si debitor ab initio nullas alias res habuit, existimo sanè superiores à regula exceptas res obligatione contineri, obligatio enim alioquin esset inutilis: quoties autem id metuimus, semper id agendum est, ut videatur obligatio aliquid egisse *l. quoties in stipul. ff. de p. oblig. Donell. in l. ult. C. quæ res pignor. oblig.*

18. Quod si autem obligatio bonorum generalis sit collata post mortem obligantis, etiam ea continebuntur quæ alias *in d. l. 6* excipiuntur à generali ista obligatione; cessat enim exceptionis ratio *Negus. d. l. n. 34.*

19. Et generaliter omnia illa quæ specialiter obligari sunt prohibita, obligatione omnium bonorum non contineri existimo. Quænam vero specialiter obligari prohibeantur, infra dicetur.

20. Specialiter obligantur res pignori, cum ipsa conventio in certam aliquam rem confertur *l. 1. in pr. l. 15. §. quod dicitur ff. hic.* Quamvis autem illa specialis obligatio ad alia quam de quibus con-

conventum est non extendatur, nihilominus tamen ea quæ rei obligatæ accedunt, vel inde nascuntur pignoris jure tenentur: puta si ususfructus proprietati accreverit *l. 18. §. si nuda ff. de pignor. act.* locus pignori datus sit & postea domus exstructa *l. si fundus 16. §. si res. hic.* fundo aliquid per aluvionem accreverit *d. l. 16. in pr. ubique Gothofr.* Eadem in causa sunt foetus pecorum, partus mancipiorum *l. fidejussor 26. §. ult. l. Paulus 29. §. 1. de pignor. l. 1. C. de part. pignor. ubi Cujac. in paratit. Idem ad Jul. Paul. 2. sent. tit. 5. Donell. ad tit. C. de part. pignor.* item fructus prædiorum pignori obligatorum *l. 3. C. in quib. caus. pign. tac. contr.* modo partus, foetus & fructus illi non apud alium dominum quam debitorem aut ejus hæredem vel creditorem editi aut nati fuerint *d. l. Paulus §. 1. de pign.*

21. Taberna quoque si pignori vel hypothecæ data sit non tantum merces quæ conventionis tempore in ea erant, sed etiam quæ postea comparatæ in eam sunt illatæ, pignori obligatæ videntur *l. cum tabernam 30. in pr. de pignor.* Nec mirum quod taberna obligata dicantur merces quæ in ea sunt obligatæ, nam & obligata syngrapha debitoris quod in ea continetur nomen censetur pignoratium *Connan. 4. comm. 9.* Quod autem merces postea comparatæ & illatæ etiam pignoris jure tenentur, ideò fit quod merces, quæ tempore obligationis in taberna sunt, venales habentur, ut ex earum precio aliæ comparentur, & sic videantur convenisse contrahentes, ut quæcunq; inveniuntur merces quo tempore pignoratitia ageretur existimentur obligatæ & jure pignoris capi possint *Connan. 4. Com. 14. n. 5. vid. Et Negus. p. 2. m. 2. n. 17. Et seqq.*

22. Porro & grege pignori dato quæ postea nascuntur tenentur. Sed & si prioribus capitibus decedentibus totus grex fuerit renovatus, pignori quoq; tenebitur. *l. grege 13. in pr. de pignor.*

23. Videndum nunc de pactis quæ in pignoris hypothecæ conventionali constitutione interponi solent. Et quidem eorum quædam talia sunt ut jure improbentur, quædam verò non improbentur.

24. Jure in pignoribus improbatur, Lex commissoria *vid. Donell. ad l. 3. C. de part. pign. n. 6.* quæ est conventio, qua creditor pecuniam credit ea lege, ut pecunia certo tempore non soluta, pignus quod eo nomine obligatum est, suum fiat pro pecunia credita, vel ut sibi committatur pignus pœnæ causa, ob id quod
pecu.

pecunia certa die soluta non est *Donell. & Dd. Comm. ad l. fin. C. de pact. pign. Hart. Hartman. 2. obs. 15. Diff. Anton. Faber decad. 21. error. pragmat. error. 1.* existimans illam dictam legem commissoriam, Cum à debitore creditori res mancipabatur, aut in jure cedebatur ea lege, ut soluta ad diem pecunia remanciparetur, non soluta creditori pleno jure committeretur: Ideoq; putat L. commissoria vim ac potestatem non in eo elucere, ut in casum non solutæ pecuniæ pignoris dominium acquiratur creditori, sed ex contrario potius in eo, ut dominium creditori jam ante acquisitum per mancipationem reddat debitori & quidem per remancipationem in eum casum quo debitor pecuniam creditori postea non solverit.

25. In eo autem non videtur Injuria Anton. Faber pragmaticos erroris insimulare quod de l. commissoria loquentes, pactum l. commissoriae, dicunt, nam cum L. commissoria nihil aliud sit quam pactum, perinde est ac si pactum pacti commissorii appellarent. *vid. etiam Donell. ad d. l. fin. C. de pact. pignor.*

26. Improbandi hujus legis ratio est, quod non omnia pacta de re privata valent, sed ea quæ neq; dolo malo facta sunt, neque contra bonos mores *l. jurisgentium 7. §. agit prator de pactis.* Hæc autem lex commissoria ex eorum genere est quæ contra bonos mores sunt, invitat enim creditorem ad delinquendum & fraudandum eos qui non consentiunt, quod genus totum improbari constat *l. 5. de pact. dotal. Donell. in l. 3. C. de pact. pignor.*

27. Aliam improbandi rationem, imò improbandi necessitatem assignat *Anton. Faber in error. pragmat. dec. 21. err. 2.* quod scilicet lex commissoria pignori adjecta sapiat naturam emptionis-venditionis, intellige si forsitan pecunia sit credita; at illud fieri nullo modo posse ut in eundem casum & pignus contractum & venditio pignoris facta videretur, esse enim contractus disparatos, & ut loquuntur incompatibiles. Verum existimo simul & pignus contrahi & pignoris venditionem conditionalem fieri posse, & hoc per *l. si fundus 16. §. ult. de pignor. ubi Marcianus ait:* posse ita fieri pignoris dationem ut si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emtoris creditor possideat rem justo precio tunc æstimandum, hoc enim casu videri quodammodo conditionalem esse venditionem. Nec ad rem facit quod Faber ait non videri
in spe-

in specie illius §. factam venditionem, ideò quod contrahentes non convenerint de precio, sed de eo conventio dilata fuerit in aliud tempus, quod fieri non possit si venditionem factam dicere velimus; nam primò expressè inquit Jctus factam quodammodo venditionem conditionalem: deinde fallum est, quod Faber ajit, precii ibidem nullam factam esse mentionem, quamvis enim certi alicujus precii ibidem mentio facta non sit, collatum tamen illud fuisse in arbitrium boni viri omnino existimare debemus; quod si factum fuit, nullus ambigo quin extemplo venditio fuerit perfecta & contracta *vid. l. 7. de contrah. empt. l. 25. locati l. fin. C. de contrah. empt. §. 1. Inst. de empt. vend.*

28. Quantum autem ad hanc legis commissorie attinet prohibitionem, inter jus ff. quale illud hodie habemus & jus C. nullam esse differentiam rectè cum *comm. Dd. opinione contra Pinellum in Rubr. ad l. 2. C. de rescind. vend. part. 2. c. 1. n. 27. defendit Dan. Moller. lib. 2. semestr. c. 34. per tot. Adde Donel. in d. l. 3. C. de pact. pign. n. 4. Connan. 4. comm. 18. n. 8.*

29. Adeò autem in pignoribus improbatur l. commissoria, ut nec ex intervallo adjecta valeat, ut rectè contra omnes ferè sentit *Molinaus in tr. de usuris questio 363. & seq. pag. 349. & seq. Anton. Faber dec. 21. error. pragm. error. 2. Pin. part. 2. rubr. c. 1. n. 27. ad l. 2. C. de rescind. vend. Moller. 2. semestr. cap. 34. in fin. Cujac. 15. obs. 22. Diss. vulgò Dd. Negus. d. tr. p. 4. m. 1. n. 6.*

30. Sed & si firmatum fuerit juramento hoc pactum, omninò tamen improbatur: fundamentum hujus rei habes firmissimum in *l. 5. C. de ll. ubi Impp. Theod. & Valent.* Ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed etiam pro infectis haberi. Et in fine ejusdem l. expressius ajunt, super illis pactis, quæ legibus sunt prohibita, nullum sacramentum admitti. Quinimò leges se ipsas destruerent si tantam juramento potestatem darent, quandoquidem non aliunde quàm ex legibus proficisci potest ut plus habeat virium pactio quæ jurata est quàm quæ non jurata *Anton. Faber d. dec. 21. err. 8. Diss. Costal. in l. 34. de pignor. act. allegans Guidon. Papam.*

31. Imò etiam si in utilitatem tertii adjecta sit l. commissoria, non tamen valere verius existimo. *Ant. Fab. d. dec. 21. error. 5. Molin. tract. de usur. quest. 52. n. 356. Pin. de par. 2. c. 1. n. 30. Moller. 2. sem.*

32. Porro illud quoq; in pignoribus improbat, quo placet quod creditor, non reddita sibi pecunia, rei oppignoratae possessionem propria & privata auctoritate occupare & ingredi possit; quamvis enim ita ab initio conventum sit, tamen placuit debitori reluctantem creditorem pignoris possessionem propria auctoritate ingredi non posse, sed illam per praesidem consequi debere. *l. 3. C. de pignor.* nulla enim pactio valet quae fit contra bonos mores, nulla quae ad amovendum quid aut aliter delinquendum quemquam invitatur. Quod si postea creditores repugnante debitori possessionem ingrediantur, vim facere dicuntur, tenenturque *ll. Julii* de vi publica aut privata prout vis armata, aut sine armis facta est. Probat hoc expressè *in l. possessionem ad l. Juliam de vi publ.* ubi generaliter scriptum est, si creditor fundi possessionem per vim ingrediat, eum legis Juliae de vi privata reum fieri posse; & porro quia vim faciunt, consequens est ut simul jus crediti amittant ex decreto Divi Marci *in l. exstant. 13. ff. quod metus causa.* Si ex conventionem tantum possessionem ingredi velint, absente, puta, vel ignorante debitori, id quoq; facere debent praesidis auctoritate. *l. 3. C. de pignor.* quamvis enim vim facere non videantur *d. l. 3.* non tamen illico collige impunè illos facere, cum contra legem faciant *l. 1. de legibus;* & rectè quod de emtore & similibus, qui à domino possessionem adipiscere debent, eam tamen sua auctoritate ingrediuntur, tradita sunt, rectè transfertur ad creditorem qui propria auctoritate pignus occupat. *vide hac de re Donel. in d. l. 3. C. de pignor. Diss. variè Dd. variè explicando verbum debet in d. l. 3. Hotoman. ibid. Sichard. Menoch. 5. remed. recup. poss. n. 28. & seq. Neg. de pign. p. 4. m. 1. n. 8.*

33. Cognitis quibusdam pactorum generibus jure improbat, videndum de quibusdam quae non improbantur vel specialiter permessa inveniuntur; & generaliter sciendum, ea demum pacta pignori adjici posse, quae non generaliter sub *tt. de pact.* & alibi, vel specialiter, ut dixi, inveniuntur prohibita.

34. Inter alia est illud, si convenerit ut fructus rei oppignoratae pro usu pecuniae lucretur creditor, donec debitor solverit: quae pacti species antichresis appellatur *vid. l. 1. § pacto l. si is 11. §. 1. de pignor. l. 39. de pignor. act. l. 14. l. 17. C. de usur.*

35. Antichresis duplex est, Expressa & Tacita: Expressa
quam

quando inter creditorem & debitorem nominatim convenit ut
creditori re pignori data invicem usurarum uti liceat; Tacita,
quando hoc ex præsumpta contrahentium voluntate colligitur:
veluti dedi tibi mutuo 100. aureos, & tu mihi pignori dedisti fun-
dum, nec quicquam amplius inter nos convenit; hoc casu tacite
antichresis contracta videtur. *vid. l. cum debitor. 8. ff. in quib. caus.
pign. vel hyp. tac. contr.*

36. Inter expressam autem & tacitam antichresin differen-
tia est permagna: Nam tacita servat legitimum usurarum mo-
dum, expressa non servat: nam si fundus mihi in antichresin da-
tus sit, licet ex ejus fructibus percepero longè plus quàm ferat le-
gitimus usurarum modus, nihil tamen restituere debeo, quia sic
conventum fuit *l. 10. C. de usuris.* ast si tacite contracta sit antichre-
sis, eatenus tantum retinere possum, quatenus per legitimas usu-
ras liceret, reliquum restitui omninò oportet. *Cujac. lib. 8. obser. 17.
Ant. Fab. dec. 9. error. prag. err. 5. ubi diversitatis rationem elegan-
tem & evidentem assignat. Diss. Bocer. disp. de pign. th. 65. Robert. lib.
1. recep. lect. cap. 14.*

37. Illud autem, quod dictum est expressam antichresin
non servare legitimam usurarum modum, verum est, si fructuum
æstimatio incerta sit, secus si certa sit & taxata: Cum enim sola fru-
ctuum incertitudo & solus incertus eventus expressam antichre-
sim teneat, ne quicquam in fraudem usurarum & constitutio-
num excogitatum dici possit, planè consentaneum est, ut, si quo
modo creditor certum sibi redditum ex fructibus comparer, offen-
dat in legem, quatenus is redditus legitimas usuras superabit. *vid. d.
l. 14. & 17. C. de usur. ubi Don. Anton. Fab. d. loc. Donell. in tr. de usu.
cap. 4.*

38. Tacita conventionione constituitur Pignus ex præsumpto
contrahentium consensu, quem consensum quoniam jus præsū-
mit, occasione tamen aliquo hominis facto ei data, quod ad pi-
gnus constituendum principaliter atq; ex hominis voluntate de-
stinatum non sit, tamen eo ipso quo quid fit, homo faciens in pi-
gnus consentire præsumarur, unde est quod alias hoc pignoris
genus legale dicitur, vel lege inductum, nullumq; tacitum sit di-
caturve pignus nisi à lege definitum *Vult. 1. jurispr. 34. n. 8.* Hinc
dicitur esse vice pignoris. *l. 1. c. in quib. caus. p. vel hy. tac. contr. veluti
pignoris titulo l. 2. C. eod.*

B 2

39. Hu-

39. Hujus taciti pignoris exemplum habes, in illatis in prædium urbanum; illa enim quamprimum illata in prædium sunt tacito pignoris nexu obligata sunt, *l. 4. de pact. l. 2. in quib. caus. pign. l. 4. eod. l. ult. C. eod.* In illatis autem in prædium rusticum jus aliter constitutum est *d. l. 4. in pr. l. Pomponius cum seqq. in quibus causis pignor. tac. contr.* Diversitatis rationis si satagis assignabimus illam in discursu. *vid. Anton. Fabr. dec. 60. err. prag. err. 7. 8. & 9. Clariss. & Consultiss. dominum Dominicum Arumeum Presidem digniss. Preceptorem meum honorandum in disp. ad precip. pand. ll. disp. 3. th. 4. Donnell tract. de pign. cap. 4. Cujac. ad l. 4. de pact. Forcat. in necyoman. dial. 17. Gribald. in suis declarat. cap. 1. Connan. 4. com. jur. c. 16. Vultej. 1. jurispr. 34. n. 13. adde ad explicationem l. 3. in quib. caus. pign. vel h. tac. Briffon 4. antiq. 18. Diff. vulgò Dd. quos allegat Treuil vol. 1. disp. 6. th. 3. l. b. & disp. 29. th. 3. & vol. 2. disp. 1. th. 4. l. c. Sichard. ad l. 5. C. locat.*

40. Hinc desumi potest ratio ejus quod dicitur, res secundi coloni non esse pignoris jure obligatas, quamvis res primi coloni fuerint pacto obligatæ, at secundi conductoris ædium res in vectas teneri tacito nexu sicuti & primi conductoris, de qua re sunt textus, *in l. si in l. 24. §. 1. locati & in l. solutum. 11. §. de pignor. act.* Res enim secundi coloni non possunt dici obligatæ, cum conventio primi coloni cum locatore fuerit personalis; aliter diversum esse in rebus illatis ab inquilino in urbanum prædium, idè fit, quod quicquid inductum illatumve ab inquilino fuerit, non ratione aliqua conventionis, sed ipsa lege obligetur, quod legis beneficium cum personale non sit, ad secundum conductorem porrigitur. *Connan. 4. comm. 16. n. 7. Menoch. de adipisc. poss. remed. 3. n. 99. & seq. Negus. p. 2. m. 4. n. 135. & seq.*

41. Aliter item constitutum est in supellectile libraria studiorum. *arg. l. 6. de pignor. l. 7. cum auth. seq. C. quæ res pign. Sichard. in rubr. C. de pignor. Dd. in auth. habita C. ne filius pro patr. Schneid. in §. 7. Instit. de act. n. 43. Mynsing. ibid. n. 18. Negus. de pign. m. 4. n. 144.*

42. Sed an sicut eo ipso dum inferuntur res in prædia, tacitè in illis rebus constituitur hypotheca, ita dum efferuntur vicissim dissolvitur? Non existimo *vid. Sneider. ad §. 7. Inst. de act. n. 53. Negus. p. 2. m. 4. n. 142. Costal. in l. 9. in quib. caus. pign. Bocer. disp. de pignor. th. 54. Hotom. in Comm. ad tit. de pign. pag. 45. Anton. Fabr. dec. 61. error. 5. Diff. Wesenb. in par. in fin. in quib. caus. Treuil. disp. 29. th. 4. l. g.*

43. Anceps & valde controversa est quæstio : num etiam in conductum prædium urbanum à minore sine curatoris consensu illata & inducta tacitè pignori sint obligata? Quod si affirmaverm non videbor mihi longius à vero aberrare. Pronunciandi ita fiduciam suggerit generalitas definitionis, quæ est in legibus supra th. 39. citatis. Adde l. 3. §. 1 ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. Bocer. d. disp. th. 55. Dd. Comm. teste Soarez in thes. recept. sentent. sub lit. C. n. 217. Negus. p. 2. m. 4. n. 154. Diss. Menoch. de adipisc. poss. rem. 3. n. 66. allegans Dd. pro utraq; parte Costal. in l. 4. de pact. Sneider. ad §. 7. Inst. de action. n. 44.

44. Porro fructus quoq; pignori datorum prædiorum creduntur tacita pactione pignori inesse l. 3. C. in quib. caus. pign. ibi Sitchard. in rubric. n. 8. donec scilicet existant, secus namq; est, si sint consumti, vel venditi & ex eorum precio prædium emptum; nam neq; premium neq; res emta succedit in locum fructuum. l. 3. C. in quib. caus. pign. Menoch. de adipisc. poss. remed. 3. n. 120. Negus. de pign. p. 2. m. 4. n. 147. Anton. Faber in error. pr. dec. 61. error. 9. Addunt tamen vulgò exceptionem quam neq; Imp. Alexander in d. l. 3. neq; alius quisquam ex antiquis prudentibus addidit, nisi, putant, alia nulla sint debitoris bona per quæ possit esse consultum creditori: eo enim casu volunt etiam in hypothecaria premium, & quod magis rem emtam ex precio loco rei succedere, contra vulgarem juris regulam quæ habet: In universalibus tantum judiciis non etiam in singularibus ita cõstitutum esse ut premium loco rei succedat. l. si rem & premium. 21. & seq. de petit. hered. l. 70. §. ult. & ll. seqq. de legat. 2. quam etiam opinionem, ut à veritate & recta juris ratione quam alienissimam, non absque colore oppugnat Anton. Fab. d. dec. 61. err. 9. & seq.

45. Is quoq; qui ad reficiendam domum pecuniam credidit, pignus in ipso ædificio constitutum habet, sive ipsimet domino insulæ, sive redemptori operis mandante domino creditor pecuniam credidit. l. 1 ff. in quib. caus. pign. Geil. 2. obs. 12. Cujac. 19. obs. 20. Myns. cent. 1. obs. 60. Ratio juris est, ne urbs ruinis deformetur. arg. l. 20. §. 10. de oper. nov. nunc l. 2. C. de adit. privat. l. 2. §. 17. ff. ne quid in loc. pub. l. 7. de offic. præsid.

46. Cæterum num idem privilegium ei qui ad instruendam navim, aut aliam rem comparandam pecuniam credidit, tribui debe-

debeat, quarunt Interpp. Ita quidem observari testantur. *Geil. Myns. dd. loc. Dd. Comm. in l. 5. & seq. qui pot. in pig. Negus. p. 2. m. 4. n. 167.* Quæ tamen sententia non habet fundamentum; requiritur enim ut hac in specie specialiter creditoribus sit indultum; nec enim privilegium tacitæ hypothecæ nisi legibus nominatim constituitur. *tot. tit. ff. & C. in quib. caus. p. l. 1. C. comm. de legat. l. unic. §. 1. C. de rei infor. act. Idem sentit Anton. Faber lib. 8. conjectur. 11. & 12. & in C. Fabrian. lib. 8. tit. 7. det. 10. & tit. 8. def. 10. Connan. 4. Comm. 17. Donel. tr. hic. c. 4. Hotom. in comm. ad tit. in quibus caus. pign. tac. Hartman. Pistor. 3. quest. 15. n. 9.*

47. Pupillo item & minori tacita data est hypotheca in bonis tutorum & curatorum pro administrationæ tutelæ & curæ. *l. fin. in quib. caus. pig. l. 20. C. de administr. tut.* Incipit illa hypotheca, non ab eo tempore quo rationes redditæ & explicatæ sunt, nec à tempore ceptæ administrationis, cum tutor non minus teneatur de neglectis quàm de malè gestis. *l. 1. & tot. tit. C. si tut. vol. curat. non gess. sed ab ipso suscepti officii die l. pro officio C. de administr. tut. Anton. Faber. in C. lib. 8. tit. 7. def. 1. Negus. d. p. 2.*

48. Simile privilegium pupillus habet in illius quoq; bonis, qui, cum tutor revera non esset, tamen pro tutore negocia gessit. Neq; enim debet hic melioris conditionis esse quàm verus tutor, ob id solum, quod se tutorem mentitus est, ne ex dolo & mendacio suo lucretur, contra *l. 41. in fin. de pign. act. l. ult. de rei vind.* Non idem est in eo qui cum nec tutor esset, nec se pro tutore gerere vellet, tamen bona pupilli per speciem administrationis invasit; quamvis enim hic videatur indignus, cum quo mitius agatur, tamen sola tutelæ causa, non etiam pupilli persona ea est quæ pignoris privilegium meretur: alioquin dicendum esset, omnium, qui pupillo ex contractu vel quasi obligarentur, bona quoque omnia pignoris jure obligatum iri, quod falsum tamen esse inde patet, quod in solius tutoris bonis pupillus habet privilegium tacitæ hypothecæ. *Anton. Faber d. t. 7. def. 2.*

49. Mulier quoq; tacitam sibi constitutam habet hypothecam in bonis mariti pro restitutione dotis. *l. unic. §. & ut plenius C. de rei uxor. act. §. fuerat. 29. ibiq; Dd. Inst. de action. Paraphernorum donationisq; ante nuptias. l. ubi adhuc 29. C. de jur. dot. l. ult. C. de pact. conve. jam super dot. &c. etiamsi matrimonium sit putativum*
cujus

cujus tamen respectu dos fuit data. *arg. l. 22. §. ult. solut. matr. Treutler. vol. 2. disp. 24. th. ult. lit. b. Negus p. 2 m. n. 104.* Nec refert utrum ipsæ principales personæ dotem dederint, promiserint vel susceperint, sive aliæ pro his personæ, sive dos sit adventicia sive profecticia *d. l. unica:* aded ut etiam personæ extraneæ dotem repetenti competat privilegium tacitæ hypothecæ. *Zaf. ad §. 29. n. 14. de act. Myns. ibid. n. 21. & seq. Diss. Negus p. 2. m. 4. n. 67.* E contrario autem marito pro dote præstanda res ejus, qui quæve dotem promisit, licet sit persona extranea, tacitè quoq; dicuntur obligatæ. *d. l. uni. Sichard. in d. l. 29. n. 31. C. de iur. dot.*

50. Incipit autem ista hypotheca, non à die numeratæ dôtis, sed à tempore promissionis. *l. 1. qui poss. in pign. d. l. unic. §. 1. C. de rei exord. Negus. p. 2 m. 4. n. 77.* Nullum autem est dubium, quin mulier huic privilegio etiam constante matrimonio renunciare possit. *l. etiam. 11. l. jubemus. C. ad SC. Vellej. & marito hypothecam remittere. Don. in d. l. 11. vid. Treutl. vol. 2. disp. 24. th. ult. lit. b.* Quod si autem forsan maritus res quasdam dotales alienari prohibitas obligare velit, mulierq; constitutæ hypothecæ renunciare, non aliter præjudicabit mulieri renunciatio, nisi maritus alia bona habeat ex quibus mulieri consuli possit, & hoc quidem jure novo quod est in *Authen. sive C. ad SC. Vellej. vid. Treutl. d. loc. Dan. Moll. 1. Semestr. 34.*

51. Item legatarius & fideicommissarius in bonis testatoris. *l. 1. C. comm. de leg. §. nostro. Inst. de legat. Negus. d. m. 4. n. 157. & seqq.* Ut & liberi in superstitum parentum ad secunda vota transeuntium bonis præsentibus & futuris, in securitatem scilicet eorum, quæ ex priori matrimonio iidem parentes lucrati, ipsis autem liberis servanda & administranda sunt. *l. hac edictati. 6. C. de secund. nupt. ubi Sichard. n. 22.* Item pro gesta tutela in bonis ipsius mulieris, vel etiam secundi mariti cui mulier nupsit, quæ filii impuberis tutelam însceperat, non restituta tutela, nec petito alio tutore. *l. pen. C. in quib. caus. pign. ubi Sichardus. Nov. 22. cap. 40. add. Nov. 49. cap. 2. Gothofr. ad l. 2. C. quando mulier tut. off.* Item pro cæteris peculii adventicii rebus quas pater administrat. *l. 8. §. 4. C. de secund. nupt. l. 6. §. 6. l. fin. C. de bon. qua. liberis.*

52. Præterea eorum quoq; bona qui censentur, vice pignoris, id est, tacitè sunt obligata. *l. 1. in quib. caus. pign.* Item bona illius qui

qui cum fisco contrahit. *l. 2. C. d. tit. l. 6. §. 3. de jure fisci. ad l. 1. C. de privileg. figu. Wesenb. in par. in quib. caus.* Quod in pupillo qui rem à fisco emit non admittit *Negus. d. m. 4. n. 113.* sed putat rem emtam solum non etiam alia bona pupilli fisco esse obligata. *per tex. in l. 2. in vers. quod si à fisco. ff. de reb. eorum.* sed vereor ne non probet id ipsum *d. l. atq;* ideò contrarium potius malo sentire. *ob d. l. 6. §. 3. de jure fisci,* ubi scriptum est, fiscum semper habere jus pignoris.

53. Quod autem de fisco dicimus, quamvis de fisco propriè dicto intelligendum videatur, & sic de rebus & ærario tantum Principis. *l. 2. §. 4. ne quid in loc. pub. Wesenb. ad tit. de jur. fisci.* Doctores tamen id extendunt ad alios populos aliasq; civitates superiorem non cognoscentes, vel merum & mixtum Imperium aliàque jura regalia & fiscalia ex concessione superioris habentes. *Negus. d. m. 4. n. 115. vid. Wesenb. in par. in quib. caus. n. 5.*

54. Quærunt hic Dd. quid statuendum sit de pœnis pecuniariis fisco ex aliquo delicto applicandis, an pro illis etiam bona delinquentium sint fisco tacitè obligata? *Negus. d. m. 4. n. 115. distinguit cum Dd. quod, quando ex delicto sequitur bonorum confiscatio, fiscus nullam habeat hypothecam, nec ante nec post condemnationem: non ante, fiscum enim nullum habere jus in bonis delinquentis, l. ejus qui. de jure fisci. nec post: fiscum enim effectum esse dominum bonorum confiscatorum per l. commissariam de public.* Quando autem sequitur pœna aliqua pecuniaria, & sumus ante condemnationem, fiscum etiam nullam habere hypothecam, quia nondum dicatur creditor (quod posterius quin falsitatis arguam facere non possum, ex delicto enim & naturalem & civilem oriri obligationem me edocuit. *Goed. in l. 10. de v. sign. & seq. per l. 6. in pr. de V. S. l. 2. §. post originem de orig. jur. l. 1. C. ad l. Corn. de fisco. quo sensu etiam Justin. in §. 1. Inst. de oblig. qua ex del. nasc. ait omnes obligationes ex delicto descendentes ex re, hoc est facto seu maleficio esse: ast obligatio est juris vinculum quo necessitate astringimur alicujus rei solvendæ secundum civitatis nostræ jura. pr. Inst. de oblig. nihil autem solvitur necessitate juris nisi quod jure debetur; debetur igitur pœna etiam ante condemnationem) si sumus post condemnationem, respectu creditorum aliorum fiscum etiam nondum habere hypothecam, respectu autem delinquentis & aliorum possidentium sine titulo hypothecam*

cam habere à die sententiæ. Hic partus mihi videtur monstro-
sus in doctorum natus cer ebello, quem nullibi enutrivit jus no-
strum. Ubinam enim locorum hæc Dd. figmenta recta habent
fundamenta? Quod enim de tacita hypotheca, danda in bonis
contrahentis cum fisco, dicitur *in d. l. 2. C. in quibus caus. trahere vel-
le ad delicta*, mihi insulsum & ineptum videtur, ejusq; rei funda-
mentum hæctenus mihi nemo monstravit. *vel Negus. d. loc. vel Si-
chard. in rubr. C. in quib. caus. vel alius quisquam.*

55. Civitatibus quoq; in bonis administratorum pro admi-
nistratione tacitam concessam esse hypothecam tradit *Negus. d.
m. 4. n. 119. post Dd. per l. 1. C. quo quisq; ord. conv.* sed non video, ubi
nam hoc civitatibus concessum inveniatur; nec simile privilegi-
um fisco nulla civitas habet in bonis debitoris, nisi nominatim id
à Principe datum sit. *l. simile 10. ad municipal. & in l. 2. de jur. Reip.* ex-
pressè rescriptum est, Remp. jus pignoris, non habere, sineq; bene-
ficio id sibi concessio nacta sit, neq; specialiter in obligatione de
pignore sibi prospexerit. *vid. Connan. 4. Com. 16.*

56. Pupillo tamen in re emta ex ipsius pecunia tacitam hy-
pothecam dari ajo, *per l. 3. ff. de reb. eor. qui sub tutel. l. pen. C. de servo
pign. dat. manumiss. Bocer. disp. de pign. th. 61. lit. c. Connanus 4. com. 10.
& seq.* duplex pupillo remedium dari ait, respectu scilicet rei ex
ipsius pecuniæ emtæ: aut ut rem vindicet, sibiq; habeat, aut ut
nummos repetat, in eoq; sibi esse tacitam constitutam hypothe-
cam. Verùm quod dicit, pupillum rem ipsam vindicare posse,
mihi à juris ratione alienum videtur; nusquam enim traditum est,
eum qui mea pecunia suo nomine rem aliquam sibi comparavit,
respectu ejus rei teneri mihi utili rei vindicatione; imò contrari-
um docet. *l. 6. C. de rei vindicat.* Neq; certissimæ huic regulæ ex-
ceptio aliqua subjici potest, nisi in re ex pecunia militis empta. *l. 8.
C. de rei vindicat.* quæ, cum ait obrentu & favore militiæ dari uti-
lem rei vindicationem militi, ex cujus pecunia res emta est, satis
ostendit alio casu dici id non posse. *Anton. Faber. 5. conjecl. 9. Diss.
Donell. 5. com. 2. in fin.* qui hoc extendit ad minorem, imò Resp. &
Civitates. *arg. l. resp. C. ex quib. caus. major. l. ult. C. de SS. Eccles. Diss.
& Dd. Comm.*

57. Plures casus quibus tacitam in jure inductam hypothe-
cam Dd. tradunt, vide apud *Negus part. 2. m. 4.* Sufficiat mihi hac

C

vice

vice superiores enumerasse, modo hoc addiderim, jure statutorio etiam in aliis casibus jure non definitis tacitas hypothecas induci posse. *Negus. d. l. n. 64. Moller. 2. Sem. 3. Trentl. d. disp. 1. th. 4. lit. o.*

58. Sequitur ut videamus quinam possint pignus contrahere, vel rem pignori dare. Et generaliter, cum pignus in contractum, pactum, vel conventionem incidat, sciendum, illos demum pignori rem dare posse, qui convenire, pacisci vel contrahere possunt; quinam verò ex eorum numero sint, Dd. tractant alibi. Nobis subsequentes has generales positiones huc ascribere placet. Primò, pupillum nunquam, ne quidem naturaliter, obligari, nisi in quantum factus est locupletior; civiliter nunquam, si jus vetus respicias; Divi Pii enim constitutione demum effectum est, ut locupletatus ex conventionem pupillus civiliter etiam conveniri possit. *l. 3. in pr. ff. Commod. l. 3. §. 4. de negot.* Vid. plenissimè hac de re *Gædeum, in tr. de contr. & commit. stipul. c. 7. concl. 12. Vulcej. in discept. Scholast. cap. 16. Gifan. in lectur. Alterfin. ad l. 46. de oblig. & act. Borcholt. de reb. cred. c. 3. n. 22. Diff. variè Dd. ut videre est apud Gæd. d. loc. Don. in l. 127. de v. oblig. Coras. 6. miscel. 22.* Quidam distinguunt inter infantia proximum & proximum pubertati, ut hic naturaliter obligetur, ille non item *Dd. in l. 1. de novat Robert. 2. recept. lect. 17.* qua sententia stante, quis pubertati proximus, quis infantia proximus sit, disputant *Dd. vide Menoch. 2. arbitr. quest. 57. n. 19. Donell. in l. 127. de v. oblig. Gæd. d. tract. de contrah. & com. stip. cap. 7. n. 182.* nostra quæ hac de re sit sententia & cui ad stipulemur doctori, quærenti in discursu indicabimus.

59. Deinde non obligantur puberes minores curatorem habentes. *l. 3. C. de in integr. restitut. Gæd. d. loc. n. 263. & seq. Robert. 1. animad. 12. Duar. & Donel. ad l. puberes de v. obligat. Diff. Gifan. in lectur. Altorf. ad d. l. puberes. 110. de v. obl. Cujac. ibid. & in not. ad animad. Robert. cap. 12. Anton. Fab. 6. error. prag. 3.*

60. Tertio non obligatur prodigus. *l. 6. ubi Gifan. Donel. Coras. Cujac. de v. oblig.* Cui non ipso jure, sed decreto magistratus bonis interdici debere probat *Gæd. d. tr. c. 7. n. 134. & seq. l. 1. de curat. fur. l. Julianus & l. 15. eod. §. item prodigus Inst. quib. non est perm. fac. test. Diff. Donell. in d. l. 6. de v. obligat.*

61. Quarto non obligantur, furiosus mente captus. *l. 1. §. furios. de oblig. & actio. §. furiosus, Inst. de inutil. stipulat.* Et denique qui

qui his non est absimilis est, ebrius, qui usque ad alienationem mentis est ebrius, *Gæd. d. c. 7. conclus. 11. n. 166. Geil. 2. obs. 110.*

62. Porrò is pignori rem obligare potest, cujus in bonis res ea est quam obligare vult, *l. qui pradium C. si alienares pignor. dat. l. 2. eod. Don. c. 7. in pr.* Nec refert utrum ipse dominus rem oppignoret, seu per alium id faciat: procurator enim si speciale ea de re mandatum habeat, vel universorum bonorum procurator sit ejus domini, qui sub pignoribus mutuas accipere pecunias solebat, rectè domini sui res pignori obligare potest, *l. 11. §. ult. & seq. 12. de pignor. act. l. 2. C. per quas pers. nobis acquiratur. Negus. p. 3. m. 1. n. 35.* & seqq. si tamen procurator sine speciali mandato rem domini pignori dederit, & pecunia credita versa sit in utilitatem domini, potest creditor excipere contra debitorem repetentem pignus, & uti retentione, donec restituatur pecunia, *l. 1. C. si alienares pign. dat. sic Negus. d. m. 1. n. 36.*

63. Tutor quoque qui loco domini est, item curator, cum in rem pupilli vel adolescentis mutuam pecuniam acceperunt, rem pupilli vel adolescentis lege non refragante pignori obligare possunt, *l. 16. de pign. l. 7. de reb. eor. qui.*

64. Item is, qui quasi dominus in jure habetur, qualis est emphyteuta. Si tamen, neque ab emphyteuta, nec ab eo, cui fundus emphyteuticus obligatus est, intra definitum tempus canon non fuerit solutus, ac propterea pronunciatum, fundum secundum legem domini esse, consequenter jus pignoris quoq; evanuisse expressè scriptum est, *in l. Lex fundo 31. ff. de pignor. ibiq; Gothofr. Donel. 9. comm. 14. Borch. de feudis cap. 3. n. 43. Geil. 2. obs. 22.*

65. Item superficiarius, modò & is solvat solarium, *l. 13. §. 3. hic. l. 15. qui pot. in pign.* Bonæ fidei possessor cui Publiciana competit, *l. 18. l. inter colonum 21 §. 1. de pignor.*

66. Is quoq; qui bona Reip. jure administrat, si mutuam pecuniam civitatis vel Reip. nomine acceperit, res ejus rectè pignori obligare potest, *l. 11. in pr. de pign. facit. l. civitas. 27. de reb. cred.* Sed quid si pecunia non fuerit versa in utilitatem Reipubl. quo casu constat teneri tantum administratores, non verò ipsam civitatem vel Rempubl. *d. l. civitas ibiq; vulgò Dd. de reb. creditis?* Existimo equidem nec pignoris dationem eo casu valere. *vid. Hartman Pistor. quest. 37. Fachin. 2. controuv. 75. & 76.* qui, quatenus civitates ex contractu administratorum obligentur, latè pertractant.

67. Servus quoq; & filii, qui liberam peculii administrationem habent, rem pro se pignori obligare possunt, non tamen pro alio, *l. 18. in fin. & l. seq. de pign. act. l. 1. quæ res pignori oblig.*

68. Et si autem res aliena pignori dari non possit, ad hoc, ut detur actio hypothecaria, attamen, quod pignoratitiam actionem attinet, quæ personalis est, nihil impedit, quo minus ejus respectu obligatio subsistere queat. *vid. l. si rem. 9. §. pen. l. si pignore 22. §. si prædo. de pign. act. l. 16. §. 1. & l. 32. d. tit. l. 6. Cod. si res aliena pignori. Vultej. 17. discept. Bocer. disp. hic. th. 21.*

69. Sed quid si res aliena pignori data sit, postea debitor rei pignori datæ dominus factus sit? R. pignus convalescere, non quidem jure stricto, sed ex æquitate, *l. 5. C. si res alien. l. item. 6. §. sed et si filius. ad Maced.* & quidem ita convalescit, ut non tantum ejus nomine retentio vel pignoratitia, sed etiam utilis hypothecaria competat *ad. ll.* Iniquum enim esset creditorem decipi à debitoribus, qui nunc rei in pignus datæ factus est dominus, qui & olim sub hac conditione obligasse videtur, si quando ejus facta fuerit. *Ampliss. Dominus Præses in d. disp. 14. th. 1. Vultej. d. c. 17. Don. c. 9.*

70. Nunquid ne idem dicendum, si creditor rem alienam esse scivit? *Donel. d. loc. & Duar. 2. disput. 11. negant per l. 1. de pignori. explicando ibidem vocem, difficilius, negativè; à quibus secedunt Balduin. in tr. de pign. c. 12. Robert. 2. recept. lect. 1. Consultiss. Dom. Præses & Præceptor colendus d. disp. th. 2. Vultej. d. loc. Pac. cent. 4. conclus. 51. dicendo, hoc casu actionem hypothecarum adversus debitorem, & omnes, qui ab ipso causam dominii habent, dari, quia debent auctoris sui jure uti; adversus alios autem possessores non dari, hi enim objicere possunt, rem non fuisse in bonis debitoris tempore conventionis; quod, si debitor ipse objicere velit, venit contra pactum suum & doli mali replicatio ipsi obstabit. l. 21. §. 1. de pignori. arguetur etiam de suo mendacio, quia rem quasi suam oppignoravit. d. l. rem alienam 9. Pac. Vultej. ad. loc.*

71. Porro si debitor aliquis rem alienam pignori creditori obligaverit, atq; is cujus res ea est, postea hæres existat, quaritur, an creditori contra dominum, pignoratæ rei nunc hæredem factum, pignoris persecutio concedatur? Controversam hanc rem fecerunt duæ inter sese pugnantibus leges, quarum una. *l. si Titio 22. de pignori. altera l. rem alienam. 41. de pignori. act.* quid de earum conciliatio?

liatione dicendum sit, ipsa dabit collatio, *vid. Clariss. Arum. d. d. disp. th. 6. Vult. d. cap. 17. Conn. 4. comm. 13. Don. cap. 7. Balduin. d. tract. cap. 12. Charond. 1. verisimil. 20. Robert. 2. recept. lect. 1. Duar. 2. disp. 4. Cujac. 19. obs. 26.*

72. Præterea, etsi mulier pro suo quidem debito pignus rectè constituat, rectèq; procuratori vel negotiorum gestori pignus constituenti consentiat, *l. 1. §. cum prædium. de pign. l. si mulier §. l. 2. C. ad SC. Vell.* attamen ne pro marito quidem, ne dum pro alio res suas pignori utiliter necit, *l. mulier 11. C. de distr. pignor. l. 5. l. 7. C. ad SC. Vellej. ubi Donel. l. redemptores. 39. §. l. seq. de R. vind.* Et hoc propter SC. Vellej. quod, cum imbecillitati sexus muliebris plenissimè consultum cuperet, *l. 1. §. 2. ad Vellej. l. 23. C. eod.* nullam intercessionem vel obligationem, quàm temerè vel inconsultò fœmina inierit, ratam esse voluit, *tt. t. t. ff. §. C. ad SC. Vell.* Sin temeritas quædam aut frans vel calliditas appareat mulieris, cessabit SC. deceptis enim non decipientibus succurrere voluit, *l. 2. eod. l. 5. C. eod. l. 30. d. tit. utputa, cum sciret se alterius nomine ream fieri, dissimulavit, & sic egit ut sua causa transigi videretur; unde constat mulierem doli consciam privari demum beneficio SC. Vellejan. Connan. 6. Comm. 8. n. 3. §. 4. Diss. Cujac. tr. ad African. 4. in expl. l. 17. hic.*

73. Cessabit item, si probatum fuerit, pecuniam in ipsius mulieris utilitatem conversam esse *auth. si qua mulier. d. tit. Nov. 134. cap. 8.* cessabit item, si mulier post biennium denuò intercessioni consentiat, *l. 22. C. ad Vellej. Sichard. ad tit. C. ibid.* item, si accepto precio intercedat, *Donel. 11. comm. 32. Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. cent. 3. cas. 234.* si pro eo, qui dotem promiserat, intercedat, *l. ult. C. ad Vellej.* Item, si mulier apud minorem pro alio intercedat, cessat SC. si scilicet prior debitor non sit solvendo, alioquin exceptione mulier utetur, *l. 12. de minorib. 25. annis. Anton. Faber in rational. ad illam l. Sichard. d. loc. n. 25.* Item, si mulier de beneficio sibi competente prius certior facta eidem renunciaverit, ut vulgò *Dd. volunt Gothofr. in l. fin. §. fin. ad Vellej. Hotom. in comm. ad hunc titul. Petrus Faber ad l. 2. de R. Jur. n. 23. Sneyd. §. fin. Inst. de fidejus. n. 4.* itaque servari me docet *Geil. 2. obs. 77.* contra quos tamen rectè disputat *Donel. 11. comm. 32. Connan. 6. comm. 8. n. 9. Gomes. 2. var. resolut. 13. n. 17. Wesenb. in par. ad SC. Vellej. Duaren. eodem tit. Gæd. ad l. 3. de V. signif.*

Clariss. consultiss. Dominus Præses in disp. Pandect. 12. th. 7. Anton. Fab.
in l. 38. de pactis Hering. in tract. de fidejussor.

74. Porro pignori dari possunt omnes res, quæ in bonis vel commercio nostro sunt, vel esse possunt, siue mobiles illæ sint, siue immobiles, corporales siue incorporales, quas & emtionem & venditionem recipere constat; est enim mutua quædam inter illos contractus affinitas, ut Cajus notat in l. 9. §. 1. de pignor. adde l. 8. C. quæ res pignor. obligar.

75. Unde etiam res, quas futuras speramus, pignori dari possunt, quales sunt fructus pendentes. l. 1. §. quæ nondum 15. in pr. de pignor. Connan. 4. com. 13. n. 6. Don. cap. 7. partus ancillæ, fœtus pecorum, & ea quæ nascuntur. d. l. 13.

76. Imò & pignus pignori dari potest. l. 1. & 2. C. si pign. pign. quo tamen casu non censetur res ipsa oppignorata, sed jus quod in re creditor habet; unde hujus pignoris vis ea est, ut quantum juris primus creditor habuit in pignore, tantum juris in secundum transtulisse existimetur. Donel. ad tit. C. si pign. pign. ad l. 4. §. fin. de pign. act.

77. Item, Res communes, citra præjudicium tamen socii, vide tit. C. si comm. res pign. l. si consensit. §. illud tenendum. quib. mod. pig. vel hyp. solv. si fratres. 7. C. comm. utriusq. judici.

78. Fundus vectigalis & superficiarius. l. 16 §. fin. de pignor. act. l. 31. de pign. quia eorum nomine utiles hodie dantur actiones adversus quoscunq; possessores l. prætor. 75. de R. vind. l. 1. §. fin. de superfici. l. fin. eod. vid. Anton. Fabr. dec. 63. err. 8. Dixi supra. Item, ea, quæ nobis debentur vel traditis nominibus vel etiam cautionib⁹ debitorum. l. 18. in pr. de pign. act. l. 20. §. 1. de pignor. l. 3. l. 7. C. de hered. vel act. vend. vid. Giphan in lect. Altorf. in l. 7. de oblig. & act. quorum nomine utilis creditori ad exigendum actio competit, adversus eum cujus nomen obligatum habet, quem tamen certiozem ejus esse oportet, cæteroquin, si ignorans suo creditori solvat, amplius conveniri non potest. l. nomen 4. ibiq; Hotom. C. quæ res pign. Negus. p. 2. m. 3. n. 27.

79. Ususfructus l. 11. §. 2. de pignor. arg. l. 9. eod. l. 15. in pr. eod. l. 1. vers. sed si ususfr. C. si pign. pign. cum & vendi vel alienari possit; unde cum non ipse ususfructus, quatenus scilicet est servitus, sed quatenus commoditatem utendi- fruendi, seu fructuum perceptionem

ptionem in se continet, vendi & alienari possit, ita scilicet, ut ob
hanc alienationem ad proprietarium non redeat, sed finiatur
morte alienantis, non eius in quem usufructus translatus est, cum
personæ cohæreat. *vid. l. non utitur. 38. & l. seq. l. 67. de usufr. l. 8. de re-*
b. autor. jud. poss. l. 66. de jur. dot. §. finitur Inst. de usufr. §. 1. Inst. de usu-
& habit. ita quoq; eundem oppignorari certum est. arg. dd. ll. vid.
Pinel. in l. 1. par. 3. n. 38. & seqq. C. de bon. mater. consultiss. Domin. Pres.
in exerc. Justin. exerc. 5. quest. 22. Donel. 10. comm. 9. in pr. Gomez. 2.
var. resol. 15. n. 15. Wesenbec. Sneider. Baro. in d. §. finitur. Inst. de usufr. Co-
var. 1. var. resol. 8. n. 7. & plenissimè hac de re disputan. Joan. Del Ca-
stillo in tr. de usufr. cap. 69.

80. Servitutes prædiorum an pignori dari possint, quæstio
est, quæ subtilissima hujus seculi exercuit ingenia; negandum mi-
hi videtur indistinctè, siue eæ sint urbanæ siue rusticæ. De urba-
nis nemo dubitat, & est textus in *l. 11. §. ult. de pign. & cum jura præ-*
diorum nihil aliud sint quam prædia qualiter sese habentia. l. quid
aliud 86. de V. signif. prædiiq; servitutes ita prædio cohæreant, ut si-
ne iis esse nequeant, l. 1. ff. comm. præd. §. ideò. Inst. de serv. rust. fieri
non potest, ut sine prædiis obligentur, non magis, quam ut sine
prædiis acquirantur; deinde pignus ex tempore, ad tempus, sub
conditione constitui potest, servitutes non item, l. 4. de servit. l. 44.
locat. Cum autem hæ rationes tam in rusticis quam in urbanis lo-
cum habeant, non video quare diversum jus in illis sit statuen-
dum. Ampliss. Dominus Præses in disp. ad Pand. disp. 14. th. 4. Duar. 2.
disp. 13. vide & Anton. Fabrum lib. 19. coniect. cap. 6. & 7. Donel. in tr.
de pign. cap. 10. Diff. Cujac. 15. obs. 6. Connan. 4. comm. 14.

81. Rerum sacrarum, sanctarum, religiosarum & publica-
rum, quia nullum earum est commercium, ideoque earum oppi-
gnoratio non valet. *l. 2. C. de religios. & sumt. fun. l. 3. C. qua res pignor.*
vide quomodo hæc limitet Sichard. ad rubr. C. de pignor. num. 25. &
seq. ut nec hominis liberi l. 6. C. eodem. adeò ut licet ex re sacra pro-
fana, ex publica privata, ex libero servus fiat, pignus non conuale-
scat. l. 83. §. sacram. de V. oblig. arg. §. idem juris vers. nec in pendentem In-
stit. de inutil. stipulat. l. quod ab initio ibiq; Petr. Faber de R. Juris. Ab
hostibus autem redemptus pignoris loco est, donec precium red-
dat. l. 2. C. de capt. & postl. rev. l. 15. ff. eod. l. 20. §. 1. qui test. facere poss.

82. Non item valet oppignoratio armorum militarium. *l. 14.*
de re

de re militari. nec rei ad arationem & agriculturam pertinentis. l. 7. l. 8. & auth. seq. C. qua res pign. nec praemiorum future victorie. l. 5. C. d. rit. nec rerum pupilli vel minoris. l. 22. C. de administr. tutor. & alienatio immobilium minorum sine decreto expresse est prohibita, l. 1. Cod. de prad. & aliis reb. min. l. ult. §. ult. C. de administr. tut. ergo etiam oppignoratio, cum pignus commercii & alienationis sit species. l. ult. C. de reb. alien. non alienand. vid. clariss. Dominum Præcept. Arumæum d. disp. 14. th. 8. nec litigiosarum. l. in fin. qua res pign. oblig. nec rerum pure subjectarum restitutioni fideicommissi l. fin. §. 2. C. comm. de legat. nec dotaliū. l. si sine l. si sciens & auth. sive à me C. ad SC. Vellej. l. unica. §. & cum lex C. de rei uxor. act. §. 1. Instit. quibus alienar. etiam si mulier consentiat; & hoc ex l. Julia, quæ fundi dotalis alienationem consentiente muliere, non verò obligationem permittebat. §. 1. Instit. quibus alienare licet. Justinian. in d. l. unic. neutram mulieri integram esse voluit.

83. Quærunthic Dd. An scilicet liberorum hominum, eorundemve rerum & bonorum pro alterius debito oppignoratio- nes, vel detentiones potius, quas vulgò REPRESSALIAS VO- cant, jure defendi possint? Negant Dd. pleriq; , statuentes pugna- re illas cum jure & civili & naturali; quia nemo debeat alterius odio prægravari. l. si quis §. legis. C. de inoffic. test. l. non debet alteri de R. Jur. c. non debet. eod. in 6. nemoque præstare teneatur, quod non accepit. l. 78. ff. de legat. & ob æs alienum inquietari fas non sit. l. 3. l. ob æs alienum C. de obligat. tot. t. C. ne uxor pro marito. Ne filius pro patre. Porro expresse probari hoc ajunt per l. unic. C. ut nullus ex vi- caneis pro alien. vicin. deb. ten. item, per Nov. ut non fiant pignora- nes 52. Geil. de pignor. cap. 2. Contra repressaliarum & pignora- tionum consuetudinem, modo in abusum & violentas de præda- tiones non degenerent, jure defendi & sustineri posse affirmat Pe- trus Friderus Mindanus in tr. de processibus mandat. & monitor. in imper. Camera extrah. lib. 1. cap. 48. Ecce enim, inquit, justitia & ra- tionalis æquitas hoc exposcit, ut singulis tribuantur sua. Ego ve- rò, cum tu mihi deberes, te & tuum magistratum pro restituendo sollicitavi, sed cum debita mihi justitia utrinque denegatur, per- misit eadem ipsa justitia alium modum justitiæ extraordinarium, ut quod monendo sollicitandoq; non potui obtinere, æquabili re- pressaliarum coactione obtineam, ut sic justiciam quam tu & ma- gistra-

gistratus tuus mihi denegastis, vestri concivis amore administretis, simulq; edoceamini, meo ex damno vestram Rempub. non locupletandam, nec nostram vestro fraudulento lucro iniquè diminuendam; quod enim civibus singulis, idem toti Reipubl. decedit & accedit. Deinde, pignoratus etsi veri contractus ratione innocens est, tamen quasi obligatione propter denegatam vel protractam à magistratu suo justiciam tenetur. Porro, metu repressaliarum singuli magistratus non minus exteris, quam propriis civibus & subditis justiciam administrant; quin imò civitas vel dominus justiciam facere negligens est debitor justiciam postulantis, ergò homines subditi illi domino vel populo capi poterunt, quia propter delictum domini negligentis facere justiciam, potest indici bellum contra totam terram, & omnes gentes subditas, *cap. Dominus & cap. Ecclesia. 10. per tot. quest. 4. & cap. seq. eod.* Nec mirum, ait Petrus Friderus, si negligentia rectorum nocet civibus, cum etiam negligentia procuratoris noceat domino: imputet enim sibi quod tales eligerunt. *l. cum mandato ff. de minor. Ita Petr. Friderus Mindanus d. loc. ubi etiam ad superiora fundamenta respondet, dicendo illa intelligenda esse de abusu repressaliarum. De requisitis hujusmodi oppignorationum consuetudine receptorum. vid. eundem Petr. Friderum cap. seq. post Geilium de pignorationibus.*

84. Sequitur pignus prætoriam auctoritate constitutum, quod à prætore, hoc est, magistratu nomen habet, & est pignus magistratus auctoritate acceptum. Accipitur autem, vel extra judicium, vel in judicio; atq; inde prætorium pignus duplex: pignus nempe prætorium specialiter ita dictum, & judiciale: quæ duo inter sese differre evincunt tituli. *C. de prætor. pign. & si in causa judicat. pignor. capt.* Prætorium est, quod absque strepitu judicii datur, mittendo creditorem in possessionem bonorum debitoris non solventis, neq; respondentis vel non caventis, aut alio modo contumacis. *l. 26. de pignor. l. 12. pro emptore l. 3. de rebus eorum. vid. Cujac. in par. C. de prætor. pignor. & 5. obs. 30.*

85. Judiciale pignus est, cum jussu magistratus executor rei judicatæ in bonis condemnati in causam judicati pignoris loco aliquid capit. *tot. tit. C. si in causa judicat. l. 10. ff. qui potior. l. si plus. 74. de evict. vid. Cujac. in par. C. si in causa jud. Menoch. de recuper. poss. D remed.*

nemed. 12. n. 17. Negus. p. 3. m. 2. & 3. per tot. Vultej. jurisp. Rom lib. 2. c. 34. n. 27. Donel. ad tit. C. de prator. pignor. ubi rectè aduersus quosdam astruit, illud, quod ex causa iudicati capitur pignus, rectè dici & esse prætorium, per l. 2. C. de prator. pign. ubi definitur prætorium pignus, quod à iudicibus, id est, magistratibus datur: Id, quod capitur ex causa iudicati à magistratu datur. l. si in causa judi. l. à Divo in pr. de re jud. Est ergò prætorium. Deinde apertè dicitur in d. l. 2. duo esse pignorum genera: Conventionale scilicet & Prætorium. Ast quod ex causa iudicati capitur non est conventionale; erit ergò prætorium. Diff. Anton. Faber dec. 10. err. pra. error. 10.

86. Ultima voluntate constituitur pignus, cum testator rem aliquam suo creditori pignori esse jubet. l. 26. de pignor. action. l. 12. de alim. leg. l. 8. §. 15. in fin. de transact. l. 9. de annu. leg.

87. Pignore rectè constituto, quæritur quid juris creditor in re pignorata habeat: & quidem, si traditione firmatum & ad creditorem translatum sit, illud in securitatem debiti sibi retinere potest, donec debitum solvatur. §. fin. Inst. quib. mod. re contrah. obli. Imò ita sibi retinere potest, ut furti actionem ejus nomine habeat; sive debitor, sive alius rem surripiat. §. aliquando Inst. de oblig. qua ex delict. l. 12. §. 2. l. 19. §. 5. de furt. Unde & debitor illud vendens furtum committit. l. 66. de furtis. Creditor quoque, si pignus traditum res soli sit, eo uti frui potest, ita tamen ut fructus in sortem imputet. l. 1. 2. & 3. C. de pignor. action. l. si dominium. 9. C. de pignor. & onera tributi sustineat. l. inter debitorem 42. l. epistola. 52. §. pactum: ff. de pactis.

88. Si creditor rem non habeat, persequi eam potest actionibus competentibus. Et datur ei actio vel Serviana, vel quasi Serviana. Serviana ita à Servio prætore dicta. Mynsing. n. 10. Vult. n. 3. ad §. 7. Inst. de act. est actio in rem l. 18. c. hic l. 13. ff. eod. qua creditor res coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus & deteriorationibus fundi tenentur, persequitur §. 7. Inst. de act. qui cum de colono tantum loquatur, minus rectè hanc actionem ad res inquilini extendi puto. Cujac. in d. §. 7. Trentl. d. disp. th. 7.

89. Quasi Serviana est actio qua creditor omnes res alias pignori sibi obligatas persequitur d. §. 7. Et hæc quasi Serviana, quia ad exemplum Servianæ est introducta, interdum simpliciter Serviana. l. 3. pr. l. 18. l. 21. de pignor. utilis Serviana l. 1. C. comm. de legat.

gat. interdum etiam hypothecaria. d. §. 7. l. 13. §. de pignoribus ff. ad Vellej. Interdum abusivè pignoratitia, ab ipso pignore, procul dubio, quod persequitur, dicitur. l. 22. hinc. l. 19. l. pen. in fin. de except. res jud. l. rem alienam de pignor. act. Donel. cap. 11. Et in l. 18. C. de pign. n. 2.

90. Has actiones, quia in rem esse diximus, facilè intelligim⁹ adversus eos dari, qui rem possident, prout est natura in rem actionum. l. si fundus. §. in vindicatione, ff. de R. vind. l. 25. in pr. de c. Et act. ibiq; Giphantius n. 21. Et seqq. quique in jure pro possessoribus habentur, qualis est is, qui dolo possidere desit. l. qui dolo. l. parem de R. juris Giphant. d. n. 43. l. 69. de rei vind. vel etiam lata culpa; nam qui in rem convenitur, etiam culpæ nomine condemnatur. l. qui petitorio §. 1. de rei vind. Nec interest, utrum ante vel post litem contestatam quis possidere desierit. l. 27. §. sed etsi d. tit. Wesen. in pa. de rei vind. n. 4. Diff. pleriq; qui putant, hoc casu competere actionem in factum, si ante litem contestatam desierit possidere. Mynsing. ad §. omnium Inst. de act. n. 27. Verùm hoc statui contra expressum textum. in d. l. 27. testatur Sneyd. in d. §. n. 78.

91. Porrò & istenetur actione in rem, qui cum nec possideret, nec dolo fecisset quo minus possideret, liti sese obtulit. l. is qui sese 25. Et l. seq. de rei vind. Don. 20. comm. 3.

92. Dantur autem hæ actiones suanatura adversus quemlibet è possessoribus, ut scilicet res, quam ille possidet, avocetur in totum, nisi solvat integrum debitum, quia quælibet res est in solidum obligata creditori. l. 1. Et 2. C. si unus ex plurib. hered. Et nisi totum debitum solvatur, nulla res obligata liberatur, sed, etiamsi pars debiti sit soluta, remanet quælibet res in solidum obligata pro residuo l. quamdiu C. de distr. pignor. l. si rem §. omnis de pignor. action. Negus. p. 8. m. n. 48.

93. Legatario tamen, ex vi tacite hypothecæ, contra hæredes non nisi pro qua parte hæredes sunt, hypothecaria actio conceditur. l. 1. C. comm. de legat. quod idem in bonis debitoris civitati ex mutuata pecunia obligati rescriptum est. in l. 2. C. de debitor. civitat. Covar. 3. resolut. 7. n. 7. Fach. 2. con. 47.

94. Non autem dantur adversus eum, qui ab antiquiore creditore pignus emit; constat enim potestatem vendendi & transferendi pignoris jure eidem datam esse. l. que à creditore 18. C. de distrib. pignor. l. 4. de pignor. act. ut nec ab ipso debitore. l. 2. c. si antiq. cred.

*cred. nec posteriore creditore. l. 1. Cod. eod. retractari queat; quini-
mò adversus debitorem possidentem rei vindicatio competit. l.
obligatus is C. de distr. pignor. Negus. de pignor. par. 5. m. 3. n. 3.*

95. Porro, cum dictæ actiones è numero arbitrariarum sint,
§ *præterea Inst. de act.* Ideoq; in illis, si res non præstetur, jurijurando
in litem locus erit. *l. in actionibus 5. ff. de in lit. jurand. l. si fundus 16. §.
in vind. de pignor. l. qui restituere 68. de R. V. Donel. de pign. cap. 11. Ne-
gus. p. 7. m. 2. n. 15. Diss. Anton. Faber dec. 18. de error. pragm. error. 1. &
prolixè 16. conjectur. 15. & 16.*

96. Si quis autem hisce actionibus extraneum possessorem
convenire velit, prius conveniendus & excutiendus est reus prin-
cipalis, ejus hæredes & fidejussores. *Nov. 4. c. 2. ubi Cuiac. auth. sed
hodie C. de oblig. & act. auth. hoc si debitor C. de pignor. quod jure ve-
teri secus fuisse constat ex l. ult. C. de obligat. & act. ubi Giphanius n.
19. Donel. n. 5. l. 24. C. de pignor. l. 14. C. eod. Costal. ad l. 18. de pign. Andr.
Geil. 2. pract. obs. 27. n. 7. Hartm. Hartm. 2. pract. obs. 5.*

97. Ante omnia verò, juxta Marcianum in *l. 23. de prob.* in
hisce actionibus probandum est, quod inter agentes convenit, ut
pignori hypothecæve res sit. Sed etsi hoc probet actor, illud quo-
que implere debet, rem pertinuisse ad debitorem eo tempore,
quo convenit de pignore, aut cujus voluntate hypotheca data sit,
vel ut Papinianus in *l. 3. & Gajus in l. 10. §. 1. de pignor.* rem in bonis
oppignorantis fuisse. *Geil. 2. obs. 26. Hotom. in l. 6. C. quæ res pign.*

98. Quod autem ad hanc probationem attinet, Dd. vulgò
distingvunt, utrum hypothecaria intentetur adversus ipsum de-
bitorem possidentem ejusve hæredem, an verò adversus extrane-
um quemvis possessorem; illo casu satis esse putant, si creditor
probet rem tempore obligationis possessam esse à debitore: hoc
casu requiri insuper, ut probet fuisse debitorem dominum dire-
ctum vel utilem, ut loquuntur, aut saltem quasi dominum. ita Dd.
vulgò in *§. 7. Instit. de act. Gomes. ibid. n. 35. Mascard. de probat. vol. 1.
conclus. 456. n. 6. & vol. 2. concl. 870. n. 24. Negus. latè p. 8. m. 3. n. 6. &
seq. quos erroris insimulat Anton. Faber in lib. de error. prag. dec. 63. er-
ror. 1. & 3. cujus sententiam an defendere possim experiar.*

99. Pereunt hæ actiones adversus extraneum bonæ fidei
possessorem annis 10. inter præsentem, annis 20. inter absentes. *l. 1.
& 2. C. si advers. cred. præscript. opp. l. 2. c. quib. non objic. long. temp. l. 7.*

& l.

§ l. fin. C. de Ob. & Act. ubi Servianam actionem contra possessorem rei oppignoratae intentari posse ajunt Impp. si non longi temporis possessione munitus sit: at longum tempus 10. an. inter presentes, & 20. inter absentes esse ex inscript. tit. & l. 1. cum auth. seq. & l. fin. C. de prescript. long. temp. satis probant Dd. in §. ex non scripto Inst. de jure N. G. & C. Donel. 1. comm. 10. Mysing. cent. 6. obs. 41. n. 10. Geil. 2. obs. 31. n. 3. Adversus malæ fidei possessorem 30. annis per-eunt hæ actiones. l. 7. C. de prescript. 30. vel 40. annor. adversus ipsum debitorem ejusq; hæredem & alios posteriores creditores debi-tore superstite 40. annis d. l. 7. §. 1. & 2. Cujac. in par. ibid. & ad eundem tit. cap. 30. & 31. Bocer. disp. de pignoribus th. 75. Adde Donell. in tr. de pignor. cap. ult. pag. (mibi) 170.

100. Possessione pignoris avocata, si debitor in solvendo moram faciat, illud juris quoq; creditor in re pignorata habet, ut illam distrahere possit. tit. de distractio. pignor. l. 8. l. 13. ff. eod. Et quidem si pactum de distrahendo, si ve de non distrahendo fuerit appositum, creditor pignus nihilominus rectè distrahit. Videtur autem solemne olim fuisse, ut pactum de distrahendo apponere-tur. l. 4. C. de pign. act. quod postea in mores abiit, ut quamvis non sit appositum, pro convento tamen habeatur. l. 4. ff. de pign. act. l. 8. de distract. pignor. Wesenbec. in par. de distr. pignor. in pr. si pactum de distrahendo intervenit, potest creditor rem debitoris tanquam ex voluntate distrahere. §. contra autem Instit. quibus alienare licet. l. fin. §. 1. C. de jure. Dom. Imp. l. 4. de pignor. act.

101. In omni autem pignoris distractione, necesse etiam est, ut res bona fide distrahatur & solemniter, id est, observatis iis, que in distrahendis pignoribus observari solent. l. pen. si vend. pign. aga. Comprehendunt ea in l. 4. C. de distr. pignor. Et quidem primo creditor rem proscribere debet, hoc est, literis publicis propositis significare, rem venalem esse. l. sed & pupillus §. proscribere de insti-tor. actio. Deinde exigitur, ut debitori creditor notum id faciat. Tertio, ut faciat hoc testatò, id est, testibus præsentibus, & hoc ideò, ut scire possit, quanti res vendatur, & ne queratur, si credi-tor non percipiat tantum, quantum debetur, & sic constare pos-sit, creditori posse ex eo precio satisfieri. l. 7. C. de distract. Don. in d. l. 4. n. 7. d. tit. Bocer d. disp. th. 78.

102. Si convenit ne distrahatur pignus, tamen creditor pign^o

D 3

distra-

distrahere potest, si ter denunciaret creditori, ut solvat. *l. 4. de pignor. action.* Nec venditur hoc casu pignus contra conventionem: nam cum ab initio convenerit, ut res pignori esset, vi ipsa convenisse intelligitur, ut liceat distrahere: Jus enim distrahendi pignoris proprium est, ut ab eo separari non possit. *Donel. in l. 4. C. de distract. pignor. n. 2. & in tr. de pign. cap. 12.* Unde nec creditorem juri distrahendi omninò renunciare posse, statuo cum *Dd. commun. contra Pinellum in l. 2. Cod. de resc. vend. par. 2. c. 2. n. 5.*

103. Quod si contra pactum sit, ne liceat debitori rem pignoratam vendere, quæritur, an alienandi potestas debitori sit adempta? & respondet *Marcianus in l. 7. §. 2. de distr.* nullam esse venditionem, si emtor pactioni non stet: multum enim interest creditoris alium sibi non substitui duriorum adversarium. *vid. clariss. & consultiss. Domin. Presidem in disp. Pandect. disp. 14. th. 12. Wesenb. in par. de distr. pign. n. 5. Gothofr. in d. §. 2.*

104. Si nullum planè pactum de distrahendo sit appositum, *Cujac. ad Paul. 2. recept. sent. tit. 5. putat,* omninò tum etiam trinam denunciationem necessariam esse, à quo *diss. Dd. comm. Negus. p. 6. m. 1. Connan. 4. com. 18. n. 7.*

105. Ter denunciarum sic accipimus, non ut eodem tempore ter ita dicatur debitori, solve, solve, solve, sed ita, ut inter singulas denunciationes aliquod intervallum intercedat, quod intervallum *gloss. & alii* volunt esse spacium unius diei. Verùm hisce contradicunt multi relati à *Negus. d. p. 6. m. 9. n. 4. cum quibus facit Donell. d. cap. 12. & in d. l. 4. C. de distr. pignor.* ita ter denunciandum esse existimans, ut inter quamlibet denunciationem 10. saltem dies intercedant, & sic demum post 30. dies pignus vendi possit, argumento ejus, quod & alias in aliis locis juris nostri, ubi sine certa temporis definitione aliquid exigendæ pecuniæ, vel debitori conveniendo statuitur, decem illud dierum spacio includi legamus. *vid. l. promissor. §. si sine de const. pec. sic tria edicta, quibus absens reus in causa civili citandus est, non minus 10. dierum spacio interponi debere Ulpian. ait in l. cum peremptorium & l. seq. ff. de judic. Negus. & Donell. dd. loc.*

106. Denunciationibus legitimè factis, pignoris venditionem ad biennium usq; differri debere necessarium non esse, rectè docet *Donel. cap. 12. & in l. 4. C. de distr. pignor. n. 5. cui adstipulatur Bocer.*

Bocer. dict. diff. th. 77. Diff. Dd. vulgò, gloss. Wesenb. in par. de distr. pignor. n. 4. Sneyd. & comm. Dd. in §. contra autem Inst. quibus alienar. Cujac. ad tit. C. de jure dom. impetr.

107. Si pignus bona fide, solemniter, & juxta legitimum modum venditum non sit, nihilominus emptio valet, nisi emtor fraudis particeps fuerit. *l. si cessante C. de distract. pignor. l. 1. & 4. C. si vend. pignor. agatur. Donel. in l. 4. C. de distr. pignor. n. 8. & in tr. de pignor. cap. 12. Anton. Faber. in c. lib. 8. tit. 16. def. 13.* Venditor autem debitori tenetur actione pignoratitia, in id quod interest. *d. l. 4. & l. 7. ibiq. Hotom. C. de distr. pignor. vel etiam actione furti. l. 73. l. si pignore 54. de furt. l. 4. de pignor. action.*

108. Si legitime fuerit venditum pignus, plenum rei venditæ in emtorem venditor transfert dominium. *l. 4. de pignor. act. l. 18. C. de distr. pignor.* adeò, ut etiam rei vindicatio ejus nomine emtori competat, etiam adversus ipsum debitorem possidentem. *l. 15. C. de distract. pignor.* Quod si venditio hac lege facta sit, ut, si intra certum tempus pecuniam vel creditor vel debitor offerat, rem recipere liceat, eo casu creditori actio ex vendito competit, quam præstare & cedere debitori actione pignoratitia tenetur. *l. si cum venderet 13. ff. de pignor. act. imò & rei vindicationem instituere, aut in factum actione adversus emtorem experiri potest. d. l. 13. de pignor. act. Donel. d. cap. 12. & in l. 4. C. de distract. pignor.*

109. Quicquid autem occasione pignoris redactum est, æquus est debitori illud proficere, quàm creditoris lucro cedere. *l. rescriptum 12. §. 1. de dist. pign. Don. d. c. 12.* Imò & creditor debitori de fructibus non tantum perceptis, sed etiam percipiendis tenetur, ita ut si fors sit soluta, actione illos pignoratitia consequi possit, si non, debitum relevent & exonerent. *l. 7. & 2. C. de pignor. act. ubi Donel.* Quod si quid minus creditor consequutus sit, quàm debebatur, debitor distractione pignoris non liberatur. *l. 9. de pignor. l. 3. C. eod. ubi Donell.*

110. Porrò si res distrahenda emtorem non inveniatur, ejus sibi dominium creditor post biennium à Principe impetrare potest, de qua re agitur in *l. fin. C. de jure domini impetrando, ubi vide. Adde. Dd. in d. l. fin. Donell. ibidem & in tract. de pign. cap. 13.*

III. Dixi de distractione: Cum vero sæpissimè fiat, ut una eademq; res pluribus obligari soleat, videndum porrò utrum hi, quibus

quibus obligata res est, inter se omnes in distractione concurrant, an alii aliis præferantur, & sint potiores. Et quidem, si pluribus eadem res eodem tempore sit obligata, inspiciendum imprimis quid actum; nam si utriq; in solidum obligata res est, in solidum quoq; adversus extraneos agat: at inter ipsos melior erit conditio possidentis: sin verò pro parte res obligata est, utilis actio adversus extraneos, & inter ipsos dabitur ad dimidium possessionis. *l. si debitor. 10. de pignor.* Si nihil actum vel expressum sit, pro quantitate debiti unicuiq; res erit obligata, si inter ipsos creditores sit questio: at si adversus possessorem agant, in solidum agere possunt. *l. 16. §. pen. de pignor. ubi vid. Costal. Donel. de pignor. c. 14. Connan 4. com. 17. Negus. p. 5. m. 2. n. 43. & seq.*

112. Videntur autem eodem tempore convenisse de pignore, qui eodem die convenerunt, licet unus horarum numero prior fuerit. *d. l. si tamen manifestè constet, hunc altera hora aut momento priorem esse, idq; ex instrumento possit argui, non displicet nobis Connan. 4. com. 17. n. 4. sententia, existimantis, priorem tempore præferri debere. vid. Costal. d. loc. arg. c. duobus & ibi gloss. verb. si non appareat. de rescript. in 6.*

113. Si separatim diversis temporibus res sit pignori data, eo jure utimur, utis potior sit jure, qui prior est tempore, id est, qui prius hypothecam accepit. *Dd. ad tit. ff. & c. qui potior. in pign. Wes. in par. ibid. Donel. in l. 2. c. hic. numerata scilicet pecunia. l. 11. qui potior. in pign. l. 4. quæ res pign. Connan. d. cap. 17. Hotom. ad l. 3. cap. qui potior. Quod adeò verum est, ut, etiamsi principalis obligatio novetur, pignora tamen non novata intelligantur, si modo in novatione expressè repetita fuerint. l. 3. ubi Costal. ff. qui potior. in pig. l. 12. §. Papinianus eod. Negus. p. 5. m. 2. n. 13. Mynsing. 1. obs. 59.*

114. Jure potiolem sic accipimus, jure creditoris; non ut sequentibus res obligata non sit, sed ut prior creditor, sive cum aliis agat & hypothecam vindicet, eam auferat: sive rem possideat & cum eo agatur, exceptione tutus sit: sive rem vindicet, emtor adversus omnes defendatur. *Don. cap. 14.*

115. Quod ad prioritatem attinet, non refert, utrum pignus conventionale sit, an verò prætorium. *l. 2. c. qui pot. in pig. modò ex causis titulisq; diversis, & non ex uno eodemq; creditores veniant: hoc enim calu secus est; rationem subministrat. Cuiac. 5. obs.*

obs. 30. & 9 obs. 37. & in par. C. qui potior. in pign. Clariss. & Consultiss. Dominus Præses d. disp. 14. th. 1. Sichard ad d. l. 2. n. fin. C. qui potior. in pign. Negus. par. 5. m. 2. n. 6. Vel etiam iudiciale l. 10. ff. qui potior. in quo tamen non sufficit, ut quis prior sententiam obtinuerit, sed requiritur, ut prior pignus ex causa iudicati acceperit. Cujac d. loc. Sichard. in d. l. 2. n. 4. Geil. 2. obs. 25. n. 3. Diss. Costal. in d. l. 10. qui potior. in pign.

116. Nec porro refert Tacita vel Expressa sit hypotheca. Negus. p. 5. m. 2. Generalis vel specialis l. 2. ff. qui pot. in pign. ubi Costal. Sanè si alicui res aliqua specialiter sit obligata, & omnia bona generaliter, & creditor ex ea re quæ specialiter est obligata, debitum redigere possit, potior non erit in aliis, quæ posteriori forsan alicui creditori sunt obligata. l. 2. C. qui potior. in p. ubi Dd. Donel. Sichardus. Negus. d. p. 5. m. 2. Connan. d. c. 17. n. 6. Costal. in l. 2. qui pot. in pign. vide & Anton. Fabrum 6. conject. 13. qui d. l. 2. omninò pugnare ait cum Papiniano in l. 2. qui pot. in p. hab. Sanè, cum generalis hypotheca comprehendat tam præsentia, quam futura, jus prioritatis in his, quæ post secundam obligationem accesserunt, locum etiam habere verius est. per l. fin. in pr. qui potior. in pign. retrahitur enim obligatio ad tempus conventionis.

117. Diversum est in fisco, qui, cum ipso jure citra conventionem generalem habeat hypothecam, eamq; statim à tempore, quo rem acquirit debitor, privatum in concursu prævertisse existimatur. l. 28. de jure fisci. Cujac. 10. obs. 22. Connan. d. cap. 17. n. 7. Diss. Donel. d. cap. 14. Anton. Faber 2. conjectur. 10.

118. Non item refert, an privato, Reipub. vel fisco constituta sit hypotheca; prior enim semper præfertur. l. fin. in pr. l. 8. qui potior. in pignor. l. si fundum ubi Donel. & Sichard. An sub conditione, vel in diem contracta sit obligatio; quod enim in diem debetur, statim debetur, licet priusquam dies venerit, peti nequeat. §. omnis Inst. de V. oblig. l. 41. de V. obl. ubi Giphani. n. 12. & 13. vid. l. 12. §. 2. ff. qui potior. & si sub conditione quid debeat, ea existente retrahitur ad tempus initæ obligationis, ac perinde habetur, ac si ab initio pure constituta esset obligatio. l. 11. qui potiores in pigno. Gæd. in l. cedere diem de V. sign. vid. l. qui balneum 9. §. 1. & seq. qui poti. in p. Cujac. in tr. 8. ad African. in explicat. d. l. qui balneum Donel. de pignor. cap. 14.

119. Porro is quoq; prior habetur, qui cum creditor posterior esset, priori pecuniam debitam obtulit, eamq; ob signatam de-

E

posuit.

posuit. l. 5. C. qui potior. in pign. l. 11. §. ult. ff. eod. l. 1. ubi Sichard. Donel-
lus & l. 8. C. d. tit. non tantum privato, sed etiam Reipub. & fisco. l. 3.
C. de his qui in prior. cred. hic enim cum in prioris locum succedat
in ea quantitate, quam ille exsolvit, ejus jure utetur. l. 2. C. de his, qui
in prior. cred. imò amplius, quod ex sua persona facere non potuit,
ex illius persona facere potest. vid. l. 3. ff. quæ res pignor. obl. extraneus
autem, qui hypothecam non habet, non aliter in jus prioritatis
succedit, nisi expressè de pignore paciscatur. l. 1. C. de his, qui in pr.
cum creditore vel debitore, si modò ad creditorem pecunia per-
venerit. l. 3. C. d. tit. l. 17. ff. qui potiores in p. Donel. d. cap. 15.

120. Interdum tamen quidam, licet posteriores sint, præfe-
runtur prioribus. Ex eorum numero est is, qui hypothecam sibi
constitutam habet, publicè in judicio coram Judice, vel coram
Notario & testibus: hic enim, quamvis posterior, præfertur priori
privata scriptura constitutam hypothecam habenti. l. Scripturas
11. juncta. anth. si quis C. qui potior. in pign. ubi Sichard. & Don. Geil. 2.
obs. 25. n. 9.

121. Item, qui ad reficiendam, vel conservandam rem pecu-
niam credidi, si modò res refecta, & pignori obligata sit prio-
ribus præfertur. l. interdum §. qui potior. in pign. l. creditor 25. de R. cre-
dit. Geil. d. obs. n. 7. item, is qui ad rem emendam pecuniam credidit
l. licet 7. C. qui potior. in pignor. ubi Donel. & Sichard. Con. d. cap. 17. ut,
& pupillus, cujus pecunia res emta est. l. 7. qui potior. in pignor. item,
qui servum captum ab hostibus redemit. l. 12. §. 12. de capt. & posth.
revers.

122. Mulier quoque respectu dotis, (non etiam donationis
ante nuptias, aut paraphernalium. d. l. fin. in fin. C. qui pot. in pignor.
Nov. 109 cap. 1. Myns. cent. 5. obs. 4. & cent. 6. obs. 45.) in bonis mari-
ti omnibus omninò creditoribus anterioribus præfertur: nec iis
tantum qui tacitam, sed etiam expressam habent hypothecam. l.
assiduis C. qui pot. in pig. Nov. 97. cap. 3. & seq. ubi Cujac. Nov. 109. cap.
1. l. in rebus C. de jure dot. Ampliss. Dominus Arumaus in d. disp. thes. 9.
Sichard. in d. l. assiduis Ant. Faber. 8. conjeçt. 9. & seq. Vaconius à Va-
cuna 6. declarat. 29. n. 7. & 10. Robert. 3. animad. 14. Vandus 1. quæst. 21.
Mynsing. 1. obs. 61. & 4. obs. 13. quamvis communiter receptum sit, ut
tacitam hypothecam habentibus, tantum præferatur. Geil. 2. obs.
25. n. 10. Donel. in d. l. assiduis. Negus p. 5. m. 2. n. 25. Wesenb. in par. qui
potior. in pignor. Cujac. in not. ad animad. Robert. cap. 14.

123. Hinc

123. Hinc deducitur mulierem etiam præferri fisco. *Donel. ad d. l. 12. n. 2. Robert. 3. animad. 14. & in not. ad notat. Mercat. Diss. Cuiac in not. ad animad. Robert. cap. 14. Dd. comm. Balduin. in tr. de pign. cap. 19. et si maritus ex causa primipilari conveniatur. Donel. d. l. n. 2. Duaren. ad l. 1. solut. matrim. Negus. p. 2. m. 4. n. 164. Item illi, qui in rem instruendam credidit. *Trentl. vol. 2. disp. 24. thes. ult. lit. B. Diss. Don. d. loc. & Duar. d. loc. aut in funus faciendum. Don. d. loc. & in l. 7. n. 4. C. qui potior. in pign. Diss. Duar. ad l. 1. solut. matrim.**

124. Ut autem privilegium locum habeat, dotem numeratam esse necesse est, nec sufficit cautam vel confessatam esse. *d. l. assiduis verb. si tamen re ipsa. Sichard. n. 27. Geil. 2. obs. 81. n. 2. & seq. Borerius decis. 330.*

125. Porro, privilegium hoc non quidem aliis heredibus extraneis, liberis tamen quoque competere statuunt Dd. à quibus solus, quod sciam, dissentit *Anton. Faber lib. 8. conject. 11. & meo quidem iudicio rectè: cum enim hoc privilegium, non doti, sed ipsi mulieris personæ concessum sit, consequens est, ad alium illud non transire. l. privilegia 157. de R. juris. Personæ mulieris hoc privilegium concedi arguit. d. l. assiduis, ibi: nec ad fragilitatem, mulierem respicientes, item, ibi: non de dote mulieris; & apertius ibi: & sive liberos habeat. Deinde generaliter scriptum est in l. unic. C. de privil. dotis. Privilegium dotis, quo mulier utitur, ad heredem non transire. Porro, expressè probatur Anton. Fabri sententia in §. fuerat *Instit. de action. ubi Imp. ait, præferri mulieres tum demum, cum ipsæ de dote sua experiantur. Diss. ut dixi Dd. Trentl. vol. 2. dispnt. 25. th. ult. lit. b.**

126. Sanè, is, qui emendæ militiæ causa pecuniam credidit, hoc pacto, ut casu proveniente solus esset, omnibus omninò creditoribus, atque etiam mulieri in causa dotis præfertur, *auth. quo jure C. qui potior. in pignor. Nov. 97. §. quia verò, ubi Cuiac. Don. ad d. l. 12. num. 3.* tum, quia in causam favorabilem pecuniam erogavit, tum; quia de pignore expressè sibi caveri fecit.

127. Eum, qui in funus faciendum credidit, sumtusque, in defuncti valetudinem factos per solvit, hypothecariis quoque creditoribus omnibus, tam expressam, quam tacitam hypothecam habentibus, præferri quidam volunt, quod non placet *Donell. in l. 7. n. 4. C. qui potior. in pign. vid. etiam Wesenb. in par. eod. n. 3. Negus. p. 5. m. 2. n. 28. Connan. 4. com. 17.*

128. Sequitur, ut videamus, quomodo pignus rectè constitutum vicissim dissolvatur. Et quidem, cum pignoris obligatio accessoria sit, constat, principali obligatione remissa & sublata, illam quoq; tolli & remitti *l. 43. de solut.* quibus autem modis principalis tollatur obligatio, longum hîc foret enarrare, & de eo alibi scribunt Dd. Illud hîc notandum, quod, ut pignus dissolvatur, necesse sit, ut principalis obligatio in totum prius sit sublata, nec sufficiat partem debiti solutam aut oblatam esse. *l. 6. C. de distr. pignor. ubi Cujac. in par. l. 8. §. omnis de pignor. act. Don. cap. 16. & ad l. 1. C. de luit. pign.* quamvis alias fortis parte soluta, nascatur liberatio principalis obligationis pro parte. *l. 9. de solut. l. tutor. 41. §. Lucius de usur. l. 3. fam. hercisc. Gornes. 2. var. resol. 10. n. 5. Hotoman. illustr. quest. 22. Gæd. in l. 32. de V. signif. Duaren. ad l. 2. §. 1. de V. oblig.*

129. Si creditor recuset oblatum debitum accipere, adversus ejus recusationem cautio est, ut pecunia testatò oblata consignetur & solenniter deponatur in publicum aliquem locum; quo facto debitor liberatur & una pignus extingvitur. *l. acceptam 19. ubi Donell. & Sichardus C. de usuris l. creditores 10. ubi idem Donel. l. ult. C. de pignor. act. Anton. Faber in C. lib. 4. tit. 18. def. 2.*

130. Debitum autem ab ipso debitore offerri necesse non est, sed etiamsi ab alio, veluti à possessore rei obligatæ offeratur, ad liberationem prodest. *l. 2. l. 12. §. 1. quib. mod. pign. solv. l. 19. qui potior. in pign. Trentl. vol. 2. disp. 1. th. 9. Donell. cap. 16. & in d. l. 19. n. 8. C. de usur.*

131. Adeò autem verum est, remissione debiti principalis per consequentiam à pignore recedi, ut quamvis debitum inutiliter remittatur, pignus tamen ea remissione tollatur, si modò is, qui debitum remittebat, pignus quoq; remittere potuit, & voluit. *l. 1. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. Donel. ad tit. C. de remiss. pignor. n. 2. & in tract. de pignor. cap. 16. Connan. 4. comm. 19.*

132. Porro, cum pignus conventionem imprimis contrahatur, contraria quoq; conventionem & voluntate dissolvitur. *l. 2. C. de remiss. pignor. l. nihil tam naturale & ibi: Petr. Faber de R. Jur. Negus. p. 6. m. 3. n. 33.* & ea quidem tam expressa, puta, si convenit, ut à pignore recedatur. *l. 5. quib. mod. pign. solv.* quam tacita, ut, si creditor ejus venditioni, in dotem dationi, donationi &c. consentiat, nisi forsan salva pignoris causa. *l. 4. §. 1. l. 7. l. 8. §. 13. quib. mod. pign. solv.* Sed nunquid videtur consentire, qui scit rem distrahi, nec tamen expressè

pressè dissentit: Nego propter l. 8. §. 15. quib. mod. p. vel. h. sol. Donel. ad tit. C. de remiss. pignor. n. 5. Negus p. 6 m. 3. n. 23. Excipe casum l. 1. C. de remiss. pignor. l. si hypothecas 8. C. eod. vel si res venditæ sint, sciente creditore, de quibus creditor publico programme admonitus sit, eas vendi, neque jus suum exsecutus sit. l. si eo tempore 6. C. d. tit. Donel. d. loc. Negus, d. loc. Item, si creditor consentiat rem sibi oppignoratam alteri obligari, jus pignoris remisisse dicitur, l. 12. quib. mod. pign. Connan. 4. comm. 19. n. 5. Don. d. cap. 14.

133. Præterea pignore reddito debitori à creditore, ipsum jus pignoris rectè remisisse creditor dicitur; non tamen ipsum debitum remisisse existimandus est. l. 3. de pact. Diversum est in chyrographo, eo enim reddito remissum quoq; censetur debitum, l. 2. de pact. ac consequenter etiam jus pignoris. Diversi hujus juris rationem in discursu assignabimus, interim vide Connan. 5. comm. 4. n. 2. Anton. Fabr. & Duaren. ad dd. ll. de pact. Cujac. in d. l. 2. Borcholt. de pact. cap. 2 n. 5. & seq. Costal. in d. l. 2.

134. Dissolvitur quoq; pignus interitu rei totali. l. 8. in pr. quibus mod. pign. l. 29. §. 2. de pignor. l. 16. §. 2. eod. Wesenb. in par. quib. mod. pign. solv. Item, mutatione rei pignoratæ, si scilicet non videatur amplius res eadem esse, quæ ante fuit. l. 18. §. penult. de pignor. actio. vid. Cujac. 23. obs. 22. Item, finito jure, quod quis in re pignori nexa habuit. l. 31. de pignor. Donel. d. cap. 14. sic, usufructu pignori dato, si usufructus exstingvatur, pignus quoq; exstingvitur.

135. Tempore quoq; finitur pignus, si de tempore convenit, quo pignoris obligatio duraret. l. 6. quibus mod. pign. quamvis enim aliàs tempus non est modus finiendæ obligationis. l. obligationum 44. §. placet de obligat. & action. ubi Giphon. n. 9. & seqq. Connan. 4. comm. 8. in fin. tamen hic finito tempore debitor exceptione rectè utetur Wesenb. in par. n. 4. Item, mutatione debitoris. l. 1. §. fin. quib. mod. pign. Wes. n. 5. Costal. in l. in causa 27. §. si ex parte. de procurator.

136. Finitur tandem, si juratum vel judicatum sit, nihil deberi, aut pignus obligatum non esse, l. 5. §. fin. l. deferente 13. d. tit. Quod si debitor aliud pignus æquè idoneum creditori offerat, dubitatur, an prius pignus liberetur, nolente creditore; & negandum videtur propter l. 9. §. omnes 3. de pignor. act. Donel. cap. ult. Connan. d. l. 4. cap. 19. n. 2.

137. Pignus solutum ad debitorem revertitur, nasciturq; e-
jus nomine actio pignoratitia directa, quæ & per excellentia m
simpliciter dicitur pignoratitia. §. ult. *Instit. quib. mod. re contr. ob. l. l.*
pen. C. de pign. act. Datur hæc actio adversus creditorem, ad hoc, ut
rem pignoratam. l. 11. *C. de pignor. action. l. 4. §. fin. ff. eod.* fructusq;
ex eâ perceptos. l. 22. §. 2. *ff. de pignor. action. l. 1. & 2. C. eod. ubi Don.*
& percipiendos. l. 3. *C. d. tit.* (fructuam autem appellatione non
tantum fructus, qui naturâ percipiuntur, sed etiam mercedes o-
perarum, pensiones domus &c. continentur. l. mercedes 29. & l. seq.
de petit. hered. S. i. h. ad tit. C. de pignor. act. n. 4.) item, superfluum
pretii, si plures res venierit, quam debitum fuit, restituat, l. 6. & l. 7.
de pign. actio. ibiq; Costal. ut damnum dolo, lata culpa, & levi datum
resarciat. l. 13. §. *fin. de pign. actio. & l. 14. eod. l. 8. & 9. C. eod. l. 5. ff. com-*
modati l. 19. C. de pignor. l. contractus de R. juris. non si quid vi ma ori
aut casu fortuito factum sit. d. l. 19. l. 6. *C. de pign. act. ubi Donel.* Imò
que casu fortuito, cui humana infirmitas resistere non potest, pere-
unt, suo perire domino dicuntur. d. l. contractus ubi *Petr. Fab. de R. 7.*

138. Quod accipe, nisi specialiter convenierit, ut res periculo
sit creditoris; sic enim contractus ex conventionem legem accipit.
d. l. contractus d. l. 6. C. de pign. act. aut creditor rem quandam pigno-
ris jure propria autoritate occupaverit, *vid. l. 30. de pign. act. Negus.*
p. 7. m. 3. n. 5. vel si pign^o solius debitoris gratia contractum sit, pu-
ta, ut pecunia credita in tutum redigeretur, alioquin parati etiam
sine pignore roganti amico credere, tum enim creditor levissimã
quoq; tenetur præstare culpam. l. 5. *commod. l. 13, §. ult. de pignor. l. si-*
cut vim C. de pign. in quibus Cujac. 19. obs. 24. custodiam, rectè inter-
pretatur, exactissimam diligentiam. *Diss. Accurs. teste Cujac.* qui
custodiam opponit negligentia, & culpam tantum in faciendo
consistere putat, quod refutat *Cujac. d. loc. per l. si servum, de V. oblig.*
§. *præterea Inst. de L. Aquil. l. 72. ff. pro socio. §. præterea Inst. quib. mod.*
re contrah. oblig. Diss. etiam Donel, in d. l. 19. C. de pignor.

139. Prædicta autem, neq; in prætorio, neque judiciali obti-
nent pignore, in iis enim creditor dolum solum præstat. l. *prætor ait*
9. §. est præterea. 5. de reb. author. ind. poss. cum enim illa invito quasi
acquirantur creditori, iniquum existimandum, si & culpa præstari
debeat. *Negus p. 7. m. 3. n. 11.*

140. Porro, cum hæc actio pignoratitia personalis sit, conse-
quens

quens est, non dari eam adversus tertium possessorem. *l. fin. C. de distract. pign.* Ex æquitate autem canonica etiam contra tertium possessorem dari, communiter receptum est, quod tamen non probatur *Negus. p. 7. m. 2. in pr.*

141. Tollitur hæc actio præscriptione longissimi temporis instar aliarum actionum personalium. *l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. 2. C. de const. pec. l. creditores ibiq; Donel. l. fin. C. de pignor. act. l. neg. 5. C. quib. non objicit. long. temp. præscr. Negus. p. 6. m. 2. n. 19. Cujac. in l. pignori 13. de usurp. & usucap.*

142. Juri tamen offerendi, luendiq; pignoris tanto tempore non præscribi, mihi juris rationi consentaneum videtur: rationes & argumenta, quibus hæc sententia fulcitur *vide apud Cujac. in d. l. pignori Geil. 2. obs. 18. Myns. 1. obs. 16. Covar. 1. var. resol. 9 n. 3. Borcholt. de usuris cap. 6. n. 18. Anton. Fabrum in C. libro 8. tit. 19. def. 19.*

143. Contra, pignote soluto, creditori competit actio pignoratitia contraria. *l. tutor 16. §. contrariam ff. de pignor. act.* sed cur ex hoc contractu, ut & aliis quibusdam, mandato, deposito, negotio gesto, &c. diversæ oriuntur actiones, cum ex reliquis obligationibus, ut emto vendito, locato conducto, &c. equalis utrinq; existat actio? Respondet *Wesemb. in par. de pignor. act. in fin.* quod, quotiescunq; par sit utriusq; contrahentis in obligatione constituenda ratio, toties par & æqualis utrinq; nascatur actio: quando verò potior sit alterutrius causa in quem præcipuus contractus finis respiciat, & ad quem maximè totum negotium referatur, hoc casu soleat huic tanquam principali præcipua & directa dari actio, quasi rectè & immediatè ex ipso veniens contractu, & id, quod principaliter in contractum deductum est, persequens, alteri verò contraria, quasi contra primam contractus naturam concessa. *adde Duaren. ad tit. ff. commod. cap. 3. Coras. 6. miscell. 6. Diss.* quidam qui putant directam utriq; tribui, si utriusq; gratia contractum sit, si alterutrius, ei dari directam, cujus gratia contractum est, alteri verò contrariam. At hoc falsò dici vel unico commodati contractu refutatur, in quo illi directam dari actionem cujus gratia constitutum non erat, plus quàm manifestum est. *vid. Wesemb. qui pluribus hoc refutat.*

144. Datur hæc actio creditori imprimis in id, quod ipsi sumptuum necessariorum, in re pignorata factorum gratia abest, *l. 8. l.*

25 ff.

25. ff. de pignor. Nec distingvo utrum modici sint sumtus, vel non, ut in actione commodati facit JCtus in l. 18. §. possunt ff. commod. comodarius enim cum re comodata utatur, modicorum sumtum onus merito sustinet, secus est ist pignore. Duar. ad tit. de pignor. act. cap. 9. Item, in omne id, quod creditori pignoris nomine abest, exempla vide in l. 9. l. 3. 31. 32. 36. de pign. Duar. d. c. 9. de pign. act.

145. Tandem non ignorandum, quod quotiescunq; dolus, impostura, aut fraudulenta aliqua machinatio in pignore comissa à creditore, argui possit, non tantum dicta pignoratitia actione conveniri à debitore possit, sed etiam stellionatus crimen commisisse dicatur. l. 1. de crimin. stell. d. l. 1. l. 16. §. 1. 36. Duar. ad d. tit. cap. 3.

C O R O L L A R I A.

1. An ob servitutes tam urbanas, quam rusticas novum opus nunciari possit? Ajo.
2. An amissa per lusum tanquam ex turpi causa data repeti possint? Ajo.
3. An iudicium incipiat à litis contestatione? Ajo.
4. An beneficium restitutionis in integrum competat hæredibus? Ajo. An fidejussoribus? Dist.
5. An citatus ad unam causam, cogi possit, ut respondeat ad aliam? Nego.

Ad Juvenem elegantissimæ juxtim uberrimæq; literaturæ,
DN. RUDOLPHUM FRIDERUM, Min-
danum, de Pignoribus & Hypothecis disce-
ptantem.

S U U M.

Efæcata Echo.

Differtas E. certas E. das verbera E. vera lacerto
E. Certo; Victa E. ista Barbaries E. Aries:
Gaudes E. audes virtute è E. vir tute: Dices E. es
Fervore E. ore fremens E. mens, operosa E. rosa.
Pergo E. ergo; fave E. have Prolyta; E. ita vincitur E. itur:
Jureq; E. reg; vires E. vir es: Habeto E. peto.


Jo. ab Hœckelshoven Junioris Breslâ. Silesii.


F I N I S.

X2617645

1077







Q. S. 1613, 2

~~29~~
15

PROPOSITIONES

RIBUS O THE-

co, & Amplissimo
line.

I D E
Consultissimo

ARUMÆO,
PANDECTARUM
o, Curia Provincialis,
receptore suo ætatem
lo.

icè
aminandas proponit
IDERUS MINDA-
PHALUS.

Æ,
Rauchmaul,
DC. XIII.

